



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





THE LIBRARY
OF
THE UNIVERSITY
OF CALIFORNIA
LOS ANGELES





Dr. Pedro Soares de Albuquerque
Coronel Honorario do Regimento de
Granadeiros da Paraíba

Comencei a traduzir as Taboetas
de Pedro no dia 1^o de Janeiro
de de 1848 tendo commencado o
estudo da Arte no dia 11 de Ago.
So de 1847

Desenho da Terracotta do Professor
de Latimidade Francisco Antonio
Martins Bastos

Inscritas em livro
Judicial aos 20 de
Maio de 1891

do Livro das Fabricas de
Pedro no dia 3 de Abril de
1863. dia em que foi meu
~~foram~~ ~~apare~~ ~~de~~ ~~Latin~~
sendo plenamente approva-
do.

PHÆDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLÆ ÆSOPIÆ

AD LVSTANÆ IVVENTVTIS

COMMODYM

ET INSTITVTIONEM

DE INTEGRO

RECENSITÆ ET ILLUSTRATÆ.

EDITIO PRIORI CASTIGATIO

ET EMENDATIO.

sed habet multa menda



OLISIPONE

EX TYPOGRAPHIA NATIONALI.

1842.

**PVERILI INSTITVTIONE NVLLVS MAGIS SCRIPTOR
CONVENIT.**

Io. Lud. Prasch. in Fab. Phœdri.

HOITZMANN'S LITHO. OFFICE



1861

1861

1861

MWM

PA
6563
A2
1842

EDITOR.

LUSITANÆ IVENTVTI.

QVVM præ ceteris Phædri Fabularum editionibus, quæ nostra memoria prodierunt, illa mihi præstans atque accurata visa esset, quam vir cl. Leonardus Targionius Cl. Reg. Scholarum Piarum, in studiosæ iuventutis commodum adornaverat; bene me de Latine Linguae amatoribus mereri posse putavi, si post Florentinam & Ianuensem, novam ego Olisipone ad Lusitanorum adolescentiam institutionem curarem. Itaque e Typis Venetis iterum ac tertio prodierunt Phædri Fabulæ, brevibus, sed perspicuis Targionii adnotationibus illustratæ, tantoque sapientum etiam virorum plausu exceptæ sunt, ut omnibus distractis jam Exemplaribus, ubique desiderium sui faciant. Non erit igitur, amice lector, cur ad eas rursus edendas, operam me studiumque meum contulisse mireris. Quinimmo hanc nostram editionem, quæ præ externis accuratior est & castigatior, majoris te facturum esse putaverim, quum illi Latinus, & Lusitanicus etiam præcipuorum vocabulorum & phrasium Index seu Lexicon accesserit. Hæc suscepti a me consilii causa, quæ si tibi, ut spero, probabitur, quantum vires meæ patiantur, studiis vestris prodesse non desinam. Nunc vero hæc in secunda editione multa e Variorum Commentariis excerpta addenda curavi, quæ mirum in modum

A 2
2210152

4
Phædri intelligentiam facilem reddunt, quo solert us
quidem studiosi Adolescentes Latini sermonis puram,
castamque elegantiam acquirant; & quamplurima
quoque menda, quæ in priorem nostram Lusitanicam
editionem irreperant, castigavimus. Et eo quidem
consilio præ manibus habuimus Phædri duo nitidiora
Exemplaria, alterum summa cura recognitum a
Sapientissimo Burmano, & Variorum Commentariis
exornatum Lugduniquè Batavorum excussum,
an. cIo. Io. CC. LXXVIII; alterum vero perspicuis
Hoogstralani adnotationibus illustratum, & iis nimirum,
quæ plane studiosorum adolescentum ingenii,
ætatique conveniunt, a Iacobo Facciolato, sapientissimo
Seminarii Patavini Prefecto, & doctissimo Romanarum
Musarum alumno, in lucem editum pro
Scholarum usu, Patavii an. cIo. Io. CC. LXIX.
En quæ in vestrum commodum ire iudicavi, & quæ,
præeuntibus eruditissimis Professoribus, studia vestra,
adolescentes ingenui, acuant; ac proinde in Romana,
seu Attica elegantia adsequenda vos juvare possint.
Nonnulla ex Valchii editione Lipsiensi an. cIo. Io. CC. LI.,
& ex ea, quam Henricus Holstius typis mandarati Argentorati, an. cIo. Io. C. LXIV.,
desumenda curavi, quæ operæ pretium duxi adjicere,
unde Romani sermonis elegantia, ubertasque haurire etiam
possitis. Bene valetè, nobiles Adolescentes; Deusque
Optimus Maximus faxit, ut studium diligentiamque
meam in usum vestrum vertatis; sed in primis quisque
perpendat salubria vitæ regendæ consilia, & pro suo
instituto in Phædri seu Æsopi verissimis argumentis se
informet, naviterque imbui studeat; ut in bonarum
litterarum disciplinis instructior evadat, et in litteris
doctrinaque præstet.
Dixi.

ADOLESCENTIBVS

LATINÆ LINGVÆ STUDIO SIS

LEONARDVS TARGIONI VS

CLER. REG. SCHOL. PIARVM.

QUOD altero abhinc anno testatus fueram, dum elegantissimas Phædri Fabulas in Scholarum nostrarum usum imprimendas curavi; id vobis iterum, Adolescentes optimi, nunc etiam polliceor, dum omnibus illis exemplaribus jam pridem distractis, altera nunc denuo in lucem dari communibus vestrum votis exoptabatur. Post Præclaras illas, nitidissimasque harum Fabularum editiones; quas eorum commodo, qui ætate, & studiis proveciores fuerint, longioribus, doctissimisque animadversionibus tot summi Viri illustrarunt; prodit iterum cum suis adnotatiunculis levior hæc, & exigua, in illorum dumtaxat usum, qui, ut perfectam Latini sermonis rationem adsequantur, Phædrum ipsum rudiores adhuc, omnisque ferè Latinitatis expertes legere, Italicèque exponere exordiuntur. Hinc primum, sicuti quæ teneras puerorum aures, mentemque offendere possent, expuncta sunt, & omissa; ita quod in quibuslibet Fabulis *prudenti vitam consilio monet*, & Affabulatio communiter adpellatur, diversa characterum forma distinguitur, ut faciliùs observari, atque altiùs memoriæ imprimi

possit. Deinde ea solùm ex sapientissimis aliorum Commentariis selegi, ea ipse etiam pluribus in locis adjeci, illamque præterea scribendi, dicendique rationem, ceteraque omnia sum secutus, quæ illis quidem, qui ingenio, & annis parùm adhuc valerent, congruentiora simul essent, & utiliora. Et quum alia profectò in priore, ut fit, editione excidissent, alia autem præterea desiderari etiam, addique posse viderentur, non solùm illa, secundis nunc curis, aliqua ex parte retracta sunt, atque emendata, sed ista quoque, ut opus erat, opportunè suppleta, & adjecta. Sed peculiarem in hoc vel maximè curam adhibui, ut quæ de Phædro, ejusque ætate, ac studiis prætermissa jam primùm fuerant, ea vel ex ipsis ejusdem Fabulis, vel ex aliquibus summis viris, qui de eo scripserunt, breviter adnotarem; & quem tunc designaveram solùm, leviterque adtigeram, aliquorum vocabulorum Indicem, hunc modò prosequerem, ac penè persicerem. Illis enim omissis, quæ facile occurrunt, reliquæ ferè omnes vel in Adnotationibus explicatæ, vel in ipso Indice descriptæ sunt voces, quas Adolescentes in parvis, ut vocant, Lexicis, quibus tantùm iidem utuntur, reperire non possent; deinde verò, quod præcipuum est, & adhuc, ni fallor, fortasse novum, non solùm collectæ sunt simul, & additæ multiplices illæ elegantioresque elocutiones, aut phrases, quibus Phædri Fabulæ refertæ sunt omnes ac penè conflactæ; sed adjecta est etiam Italica earum explicatio, non elegantior illa quidem, magisque recondita, quæ a rudibus adhuc, & incultis percipi non possit; sed quæ clarior esset, & aptior pro Tironum captu, et pro eo simul sensu, in quo eædem adhibitæ sunt in suis locis, ubi hac de causa, & ut alia ibidem adnotatione opus non esset,

parvâ aliquâ notâ sunt designata. Quamvis verò, ut ingenuè fateor, pucile totum hoc, atque jocularè videre possit; maximæ tamen utilitatis, in inferioribus præsertim Scholis, idipsum fore nemo profectò inficiabitur, si animadvertat, ut hoc Indice possint Tirones, juxtâ diligentem Præceptorum suorum operam, Fabulas ipsas faciliùs intelligere; n. e. moriam simul utiliter excolere; dictata ex vernacula in Latinam Linguam eleganter vertere: & omnem propterea Latini sermonis vim, rationemque a prima ætate percipere. Quæ omnia quum ad optimam Adolescentum institutionem præcipua sint quidem, et maxima, ita in causa hæc unicè fuerunt, cur totum hoc, qualecumque illud sit, subcisivis horis conficerem, & in usum nostrarum Scholarum, pro ea, quæ mihi demandata est illarum cura in hac Vrbe, omnibus vobis, optimi Adolescentes, rursus inscriberem, ac nuncuparem.

DE PHÆDRO,

ET EIVS FABVLARVM LIBRIS.

PHÆDRVS natione Thrax, ut ipse testatur (1) in Monte Pierio, qui nunc Thesaliæ, (2) olim autem Thraciæ adscribebatur, (3) si non ante, sub Augusto saltem, in lucem prodiit. Et quamvis (4) conditione, ut videtur, liber esset: contigit tamen, (5) ob bella fortasse in servitutum eum redigi, & Romam proinde a prima ætate perducì. Ibi in litteris primùm diligentissimè instructus, & in domum Augusti deinceps vocatus, ac libertate non multò post ab ipso donatus, (6) probitate morum, sed (7) ingenii præsertim elegantiam, studioque litterarum cum primis floruit. Sed defuncto Augusto, ac Tiberio imperante, multa passus est odio (8) Ælii Sejani viri potentissimi, qui eum (9) fictis causis accusaverat, & damnari etiam iniquè fecerat. Omnia tamen æquo semper animo pertulit ad ultimum vitæ suæ diem, quem, etsi quando obierit, reverà ignoretur, (10) ad novissima quidem Tiberii tempora, & ad Cajum etiam fortasse, ipsum pervenisse judicari potest.

Atque in hac sua calamitate potissimum, (11) utque eam aliquibus deliniret remediis, Fabulas scribere est adgressus, quum annis, ut (12) ex ipso colligitur, jam esset provectus, & quum jam, (13)

(1) *Phad. lib. 3. Fab. Prol.* (2) *Strabo lib. V.* (3) *Joan. Scheffer. In Vita Phædri.* (4) *Idem.* (5) *Tanaquil. Fab. in Præf. ad Phæd.* (6) *Idem.* (7) *Phæd. lib. 5. Prol.* (8) *Lib. 3. Prol.* (9) *Lib. 1. Fab. 1.* (10) *Tanay. Fab. in. Præf.* (11) *Lib. 3. Prol.* (12) *Lib. 3. Fab. 1. & lib. 5. Fab. 10.* (13) *Scheffer.*

ut dicendum videtur, defuncto Sejano XVIII. Tiberii anno, liberè de eò conqueri, & apertè in ipsum invehi non extimesceret. Scripsit autem illas ad imitationem Æsopi, unde (1) & Æsopias eas nominavit: dum (2) materiam, & Fabulas, quas Æsopus excogitaverat, etsi magno cum delectu, & aliquas interdum historias admiscendo, e Græco in Latinum transtulit, versibus Iambicis senariis expolivit, easque distribuit in quinque libros, quos scripsit ad Particolonem, Philetum, & Eutychem, (3) qui omnes, quum nomina quidem civium Romanorum non sint, e libertis profectò exstitisse videntur. Sed ex quo ipse Auctor e vita decessit, noti paucis hi Libri; & ex veteribus, solùm Martialis testimonio, ineunte sæculo secundo, & deinde Aviani auctoritate, exeunte quarto sæculo, comprobati, post renatas etiàm elegantiores litteras, (4) in tenebris diutissimè jacuerunt; & interim, facto studiorum invido, nonnulla ex iis, injuria temporum, ut fit, procul dubio interierunt. At vix tandem (5) per Clar. Virum Petrum Pithæum, qui primùm excudi eos fecit Augustoduni Tricassium in Galliis anno MDXCVI. in lucem prodierunt, tantam sibi continuò, Auctoriq̃ suo laudem, & æstimationem compararunt; statim tam multi suam operam, ac studium in eosdem contulerunt, ut ab eo anno ad MDCCXIII. triginta novem varias eorum editiones diversis in locis, ac temporibus numeret (6) doctissimus Petrus Burmannus; & quidem nitidas omnes, & amplas, & cum eruditissimis viginti quinque summorum virorum adnotationibus.

(1) *Lib. 5. Prol.* (2) *Lib. 1. Prol lib. 5. Prol.* (3) *Tanaq. Fab.* (4) *Seuffer.* (5) *Petrus Burmannus in Præfat. ad Phædrum.* (6) *In t. ræf. ad Phæd. Edit. Lugd. 1729.*

Et jure hoc quidem, & merito: scripsit quippe Phædrus (1) *stilo longe optimo, & Latínissimò;* (2) & *ita oratione usus est Latina, pura, probabili, dilucida, ita duæ maximè virtutes ei propriæ sunt, facilis brevitás, & ingenua suavitas,* (3) *tolque egregiis simul sententiis,* (4) *tot maturæ, percoctæque eruditionis argumentis,* opus penè totum conflavit, ut nemo sit, qui non fateatur, librum quidem Fabularum (5) *elegantem esse cum primis, & florente etiam ac pura lingua Latina scriptum;* ipsumque Phædrum (6) *cultissimum Scriptorem* (7) *Ætatis auræ fuisse,* (8) *ex eorum genere præcipuum, quos certum est plus profuisse humano generi, quàm sexcentos Chrysippos, & totidem Crantóras: & quem proinde* (9) *suaviter fabulantem, imò graviter, & quidem paucis philosophantem omnes assiduè admirentur, diligentissimèque imitentur.*

(1) Scheff. (2) Io. Lud. Praschius de Phædro. (3) Idem. (4) Tanaq. Fab. (5) Rittersh. in Epist. ad Camerar. (6) Schop. in Parad. litt. (7) Jacob. Facciolat. de Script. Linguæ Latine. (8) Tanaq. Fab. (9) Rigalt. in Dedic. ad Thuanum.

Fabellas continet Opusculam expositas sermone Latino,
& puro, atque ingenuo, in quo multas antiquæ elegan-
tiæ notas impressas cernere est, multas legere sententias
ad quaslibet vitæ partes utilissimas.

Rittershusius in Epist. Dedicatoria Phædri.

PHÆDRI AVG. LIB.
FABULARVM ÆSOPIARVM.

LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.

3. **Æ**SOPVS auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quòd risum movet,
Et quòd prudenti vitam consilio movet.
Calumniari si quis autem voluerit,

5

1 *Æsopus auctor.*) Ego Phædrus polivi versibus senariis hanc materiam, quam Æsopus auctor repperit; i. e. Æsopus, qui auctor est, & quasi conditor materię fabularis. Hic auctor Æsopus fuerat Philosophus tempore Cræsi Lydorum Regis, Phryx genere, conditione servus. Fabularum scriptor; vel ut Aphthonius putat, omnium optimè fabulas conscripsit, a Delphis occisus ex Suida. Præter Fabulas Æsopias fuere Cypitię, Libycę, Sybariticę.

Quam materiam.) Fabulas, quas excogitavit.

2 *Hanc.*) Pro, Eandem.

Polivi.) I. e. Illustravi, exornavi, perfecti, & ex Græco in Latinum transtuli.

Versibus senariis.) I. e. Iambicis trimetris; ex sex pedibus.

3 *Dos.*) Pretium, utilitas, fructus, ornamentum. Metaphora. Sic legimus apud Ovidium *dolem oris* pro eloquentia.

Risum movet.) Voluptatem excitat. *Movet*... *monet* figura est Antanaclasis.

4 *Vitam.*) I. e. Homines vitam degentes.

5 *Calumniari, &c.*) Si quis autem malè, ac sinistrè illud interpretari voluerit, quòd, &c.

Quòd arbores loquantur, non tantùm feræ,
Fictis joculari nos meminerit fabulis.

FABVLA I.

/ *Lupus & Agnus.*

B. **A**D rivum eundem Lupus, et Agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longèque inferior Agnus: tunc fauce improbâ
Latro incitatus, jurgii causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Istam bibenti? Laniger contra timens:

5

124.

6 *Arbores.*) Si non in his
Fabulis, in aliis fortè ex illis,
quæ interierunt, arbores etiam
adhibitas fuisse a Phædro dic-
endum videtur.

Loquantur.) Loquentes in-
ducantur, ut fieri solet in Fa-
bulis.

7 *Fictis &c.*) Fabula, a fan-
do dicta, idem est ac narratio,
seu sermo familiaris; & rectè
propterea hic *ficta*, alibi *vera*
ut L. II. V. nuncupatur; nam
Fabula est vel vera, vel falsa.
Et quòd Terentius Adolph. IV.
I. dicit: *Lupus in fabula*, id
Plautus in Stich. IV. I. ex-
primit: *At eccum tibi Lupus in*
sermone.

2 *Superior.*) I. e. Proprius
fontem, unde aqua scaturiebat.

3 *Inferior.*) I. e. Remotius
a fonte.

Fauce improba.) A famè ir-
ritata; ore famelico.

4 *Latro.*) Lupus latrocinari
oves, aliaque animalia assuetus.

Jurgii causam.) Pro *Jur-*
giam, ut *Res cibi*, pro *Cibus*.
Sic *Res Voluptatum* apud Plau-
tum pro *Voluptate*.

6 *Istam.*) Scilicet. *Aquam*.
Demonstrativè. Sic loquebantur
veteres. Terentius Heaut. III. I.
Lucesseit hoc jam, hoc ita sum-
ptum cœlum significat; vide sis
nostram Terentii editionem nu-
perrimè publici juris factam.
Et hæc quidem ea est Lectio,
quam Burmannus sequeretur
in Editione Lugdunensi-Batava,
an. 1778. quam etiam Heia-
sius, quod bene indicat Hoog-
stratamus, cui Lectio assensit
quoque Faceiolatus, quum in
Seminarie Patavino studentium

Qui possum, quæso, facere, quod quereris Lupe?

A te decurrit ad meos haustus liquor:

Repulsus ille veritatis viribus,

Ante hos sex menses malè, ait, dixisti mihi.

10

Respondit Agnus: Equidem natus non eram.

Pater, hercule, tuus, inquit, maledixit mihi.

Atquæ ita correptum lacerat injustâ nece.

Hæc propter illos scripta est homines fabula,

15

Qui fictis causis innocentes opprimunt.

FABVLA II.

/ *Ranæ Regem petentes.*

ATHENÆ quæ florènt æquis legibus,
Multa Born. f. Laf.

institutioni præerat, hæc denique illa est Lectio, quam amplexus est in Phædri editione Argentoratensi an. 1664. Henricus Holstius, quem Æsopius Fabulas a Phædro Latine redditas e Bibliotheca Freinsheimiana depromebat.

Laniger.) Agnus, quod lanam gerat. ita solent loqui Poetæ. Avianus *Auritus* dixit pro *Lepus*, sic noster *Auritululus* etiam pro *Asinus*, *Latrans* pro *Canis*, *Barbatus* pro *Hircus*, similia.

7 *Qui &c.*) Quonam pacto ego, inquit, equam tibi turbulentam reddere possum?

8 *A te.*) I. e. A loco rivi superiori, in quo stas.

Ad meos haustus.) Ad me haurientem aquam.

10 *Malè, ait, dixisti.*) *Tmesis* elegans. Sic Terentius *And.* I. I. 36. *Cum quibus erat cumque una.*

12 *Hercule.*) Formula jurandi per Herculem, viris tantum, non fœminis conveniens.

Inquit.) Scilicet, Lupus.

15 *Fictis causis.*) Est *Ellipsis Præpositionis de pro: Fictis de causis*, i. e. *fictas ob causas, ficta ob crimina*, causæ namque hic sunt crimina. *Causas fingere* autem est contra veritatem aliqui simulare.

1 *Athenæ.*) Urbs Græciæ celeberrima, & spectatissima, Metropolis Atticæ; unde Athenienses etiam Attici dicti sunt. hic, pro Athenienses per *Metonymiam*.

Procax libertas civitatem miscuit.
 Frenumque solvit pristinum licentia.
 Hinc conspiratis factionum partibus,
 Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
 Quum tristem servitute[m] flerent Attici,
 Non quia crudelis ille; sed quoniam grave
 Omne insuetis onus; & cœpissent queri:
 Æsopus talem tùm fabellam retulit,
 Ranæ vagantes liberis paludibus,
 Clamòre magno Regem petière a Iove
 Qui dissolutos mores vi compesceret.
 Pater Deorùm risit, atque illis dedit

5

10

Emendata Iove, corr. Jove

Florent.) Pro *Clarescerent*, elegantet quidem.

Æquis legibus.) I. e. bonis, ac justis.

2 Civitatem.) I. e. Cives. Metonymicè *Miscuit.*) i. e. Conturbavit. *Nepos* in Pausania. *Plurima miscere cœpit*, i. e. seditiosè moliri.

3 Frenum solvit.) Metaphorica locutio.

Licentia.) Immoderata libertas.

4 Conspiratis, &c.) Quum simul in malum contra se conspirarent Partes. *Conspiratis.* Passivè sumitur, & intelligitur de iis, qui in unum collecti & conflati sunt. Vide Vossium de Arte Gram. L. IV. c. XIII.

5 Arcem occupat.) Rempublicam ipsam, omnemque simul dominationem invadit. Per Metonymiam dictum.

Pisistratus.) Hypocritas filius, ex privato potens, & ty-

rannus effectus. *Tyrannus*, in bonam partem quandoque usurpatur vox i-ta, significatque Regem, qui figit leges, & populis justè præest, plerumque verò ad illos Principes refertur, qui libidine dominandi duro imperio sibi subditos tenent, ut hoc loco Phædri.

6 Tristem.) Gravem.

Attici.) Cives Athenienses, vide supra.

7 Grave.) Est, videtur grave iis, qui illud ferre non sunt ausi.

10 Liberis, &c.) In liberis paludibus, i. e. in quibus nemo imperium exercebat Ellipsis. Per allusionem ad liberas Civitates, &c.

11 A Iove.) Deorum & hominum rege.

12 Vi.) I. e. Potestate, & imperio.

Compesceret.) I. e. Emendaret, corrigeret.

Parvum tigillum; missum quod subito vadi

Motu sonoque terruit pavidum genus. X 18

Hoc mersum limo quum jacéret diutiùs,

Fortè una tacitè profert è stagno caput,

Et, explorató Rege, cunctas évocat.

Illæ, timóre posito, certátim adnant.

Lignumque supra turba petulans insilit: 20

Quod quum inquinássent omni contumeliá,

Alium rogantes regem misère ad lovem,

Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.

Tum misit illis Hydrum, qui dente aspero.

Corripere cœpit singulas. Frustra necem 25

Fugitant inertes: vocem præclúdit metus.

14 *Parvum tigillum.*) Vt rem minimam minorem faceret, addit parvum, ita Terentius in *Andr. minutos dixit pisciculos, & Cæsar parvam naviculam; Gellius quoque aviculam parvulam. Tigillum* diminutivum a tigno.

Subito vadi motu, &c.) I. e. Motu sonoro, quem in aquis vadi, dum dimissum fuit, effecit; nam commoverat aquas, & in eis ediderat sonum.

15 *Pavidum genus.*) I. e. Ranas pavidas.

16 *Hoc.*) Scilicet, parvum tigillum. Zeugma.

Mersum limo quum jaceret.) Eo enim paludis loco forte delapsus erat, ubi superabat limus, in quo quum ex parte hæreret, ne movere quidem se poterat; &, sicuti in aquis, supernatare.

Limo.) Vadi scilicet.

17 *Vna.*) Scilicet, rana. Ellipsis.

E stagno.) Inde, ubi majores aquæ, in quibus, ad lapsum tigilli, Ranae, ut soleat, omnes sese abdiderant.

18 *Explorato.*) Cum cura inspecto, & examinato. *Rege.*) Ligneo scilicet.

19 *Ille.*) Scilicet, ranae. Ellipsis. *Posito.*) Pro, Deposito.

21 *Quod.*) Scilicet, lignum. Zeugma.

Omnis contumelia.) Omnis generis, verborum scilicet, ac rerum.

23 *Inutilis.*) Invalidus, impotens ad eas regendas esset hic rex. i. e. Lignum e caelo missum.

24 *Misit.*) Scilicet, Iupiter.

25 *Singulas.*) Vnam post aliam.

26 *Inertes.*) Ignaves, invalidæ, imbelles.

Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
 Adflictis ut succurrat. Tunc contra Deus:
 Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum;
 Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait.
 Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

FABVLA III.

Graculus superbus, & Pavo.

NE gloriari libeat alienis bonis,
 Suoque potius habitu vitam degere,
 Æsopus nobis hoc exemplum prodidit.
 Tumens inani Graculus superbiâ

1 Lib.
 Vocem præcludit.) Sic Terentius. Equ. V. VI. 7. *Lingua hæret metu.* Noster infra Fab. XXIII. *Linguam præcludere.* Virgilius. AEn. III. 48. *Vox faucibus hæsit.*

27 *Furtim.*) I. e. Occulte, ne intelligere hydrius posset.

Mercurio.) Iovis & Majæ filio, Deorum legato, seu nuncio. Sic Horatius Od. X. L. I. *Mercuri fasunde, &c.*

28 *Succurrat.*) Scilicet, Impiter.

Deus.) Iupiter, Pater Deorum ait.

29 *Bonum.*) Regem bonum ante datum. *Bonum* intelligi etiam potest neutrakiter, & absolute, & elegantius quidem; sic Plautus. *Hem, ista virtus est, quando usu 'st quæ malum*

fert fortiter; Fortiter malum quæ patitur, idem post politum bonum, confesias Terentium Hec III. I., & Phorm. II. I.

30 *Ait.*) Æsopus videlicet Atheniensibus.

1 *Libeat.*) Absolute pro, Ne sit alicuius, cui libeat, seu habitum ait, qui velit hoc facere.

2 *Habitu.*) I. e. Statu, conditione, seu vivendi ratione, ordine, modo.

3 *Hæc exemplum.*) I. e. hanc fabulam.

Prodidit.) Absolute hoc sensu non raro invenitur.

4 *Tumens, &c.*) Hinc natum Proverbiū: *Alicuius plumis se exornare*; confer Horatium Epist. III. E. I. *Ne, si forte, suæ repetitum venerit olim Græci avium plumas, &c.*

Pennas, Pavoni quæ deciderant, sustulit, 5
 Seque exornavit: deinde contemtus suos,
 Formoso se Pavonum immiscuit gregi.
 Illi impudenti pennas eripiunt avi,
 Fugantque rostris. Malè mulcatus Graculus
 Redire mœrens cœpit ad proprium genus: 10
 A quo repulsus tristem sustinuit notam.
 Tum quidam ex illis, quos priùs despexerat:
 Contentus nostris si fuisses sedibus;
 Et, quod natura dederat, voluisses pati;
 Nec illam expertus esses contumeliam, 15
 Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FABVLA IV.

/ *Canis per flucium carnem ferens.*

AMITTIT meritò proprium, qui alienum adpetit.

6 *Suos*) Scilicet, Graculos.
 Ellipsis.

7 *Immiscuit se formoso gregi Pavonum.*) Hoc verbum immiscere construitur cum dandi casu. Tacitus Annal. IV. IV.

9. *Intmiscere necessitudinibus.* Livius L. XXI. c. XXXII. *Intmiscere se aliorum colloquiis.*

8 *Illi.*) Scilicet, Pavones.

9 *Malè mulcatus.*) Contumeliosè exceptus. Sic Terentius. Eun. IV. VII. 4. *Male mulcabo ipsam.*

10 *Redire cœpit.*) Reversus est, rediit.

Ad proprium genus.) Graculorum, ad suum ordinem, ad sui generis aves.

11 *Tristem sustinuit notam.*) K. e. Pertulit, sustulit, pati coactus est gravem ignominiam.

12 *Quidam ex illis.*) Scilicet, dixerunt. Ellipsis.

13 *Sedibus.*) Manendo nobiscum in propria conditione.

14 *Pati.*) Equo animo ferre, nec majora adpetere; contentus esse eo, quod natura dederat.

16 *Tua sentiret calamitas.*) Tu jam calamitosus; tu in hac tua calamitate sentires; seu calamitatem passus, sic Fab. V. *Improbilas* sumitur pro *Improbis*.

1 *Proprium.*) Scilicet, bonum, quod est sibi proprium.

Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,
 Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:
 Aliamque prædam ab alio ferri putans,
 Eripere voluit: verùm decepta aviditas,
 Et, quem tenebat ore, demisit cibum,
 Nec, quem petebat, adeò potuit adtingere.

FABVLA V.

Vacca & Capella, Ovis & Leo.

NVNQUAM est fidelis cum potente societas:
 Testatur hæc fabella propositum meum.

Vacca, & Capella, & patiens Ovis injuriæ,

2. *Canis.*) Tale exemplum videri potest in Perdicca, duas simul uxores quæreute; unde neutram obtinuit. Adi Iustinum, L. XIII. c. VI talis est hæc inscriptio. QVAERENDO ALIENA, PROPRIA AMISIT.

3. *Lympharum in speculo.*) In aquis imaginem, instar speculi, reddentibus.

Simulacrum suum.) I. e. Vmbra, effigiem.

4. *Ab alio.*) Scilicet, cane. Zengma.

5. *Eripere.*) Scilicet, illi alii cani, a quo eam ferri putabat. Ellipsis notanda, quia casus alius subaudiendus, quam qui præcedit.

Aviditas.) I. e. Canis avidus, seu canis aviditate deceptus. Metonymia.

6. *Quem.*) I. e. illum cibum,

seu carnem, quam ore tenebat, ejecit, demisit.

Demisit.) Idem est, ac misit de ore, sivit cadere escam, quam portabat.

7. *Quem, &c.*) I. e. Nec potuit, adtingere illum cibum, quem petebat.

Adeò.) I. e. Tam avidè, eleganter quidem.

2. *Propositum meum.*) Propositionem, i. e., sententiam hanc a me propositam: ut enunciatio & enunciatum idem valent.

3. *Patiens Ovis injuriæ.*) I. e. Assueta injuriis pati. *Patiens injuriæ, & patiens injuriam* sic distinguunt Grammatici, ut *Patiens injuriam* sic, qui jam patitur, *Patiens injuriæ*, qui pati adsuevit, vide Vossium de Arte Grammatica, L. VII. c. IX.

Socii fuere cum Leóne in saltibus.
 Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
 Sic est locutus, partibus factis, Leo:
 Ego primam sollo, nominor quia Leo;
 Secundam, quia sum fortis, ~~terciam~~ ~~quartam~~ mihi:
 Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia:
 Malo adfligetur, si quis quartam tetigerit.
 Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

5

10

FABVLA VI.

Ranæ ad Solem.

VICINI furis celebres vidit nuptias
 Æsopus, & continuò narrare incipit:
 Vxórem quondam Sol quum vellet ducere,

4 *In saltibus.*) I. e. in silvis, locis venationi aptis, in quibus pascuntur feræ.

5 *Cervum vasti corporis.*) I. e. Cervum ingentis magnitudinis.

6 *Partibus factis.*) I. e. Portionibus divisis, subaudiatur per Ellipsin Præpositio *a* vel *ab* de significans ac *post*.

7 *Primam.*) Scilicet, partem divisi corporis cervi.

9 *Plus valeo.*) Quia plus possum viribus; valentior sum ceteris. *Me sequetur.*) I. e. Mea erit; ad me pertinebit. Translata loquendi formula.

10 *Malo adfligetur.*) I. e. Damno, poena: malè mulcabitur, sic enim supra Fabula III.

11 *Sola improbitas.*) Solus Leo propter suam improbitatem, & insatiabilitatem. Per Metonymiam abstractum ponitur pro concreto sic dicimus? *Tarditati meæ* ignoscas, i. e. mihi, qui tardus sum.

1 *Vicini.*) Dicitur respectu ad Æsopum, cujus erat vicinus, & ob furta infamis.

Celebres.) I. e. Celebratas, frequentatas; scilicet ad quas multi convivæ, & vocati erant, & convenerant. *Celebrare* namque est frequenter adire.

2 *Narrare.*) Apologum comminisci: sic Narratio etiam sumitur pro Fabula.

Continuo.) Statim.

Clamorem Ranae sustulere ad sidera.

Convicio permotus quaerit lupiter

Causam querelae: quaedam tum stagni incola.

Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,

Cogitque miseras ardeat de emori:

Quidnam futurum est, si creabit liberos?

FABVLA VII.

Vulpis ad Personam Tragicam.

PERSONAM tragicam forte vulpis viderat:

O quanta species, inquit, cerebrum non habet!

*Hoc illis dictum est, quibus honorem, & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.*

5 *Convicio.*) Inordinato ex earum inter se collatis vocibus clamore, vociferatione.

6 *Incola.*) I. e. Rana. Periphrasis est Poetica.

7 *Vnus.*) Sol, qui nunc est unus, solus; etsi plures non essent.

Exurit.) I. e. Exsiccat per calorem suum.

8 *Miseras.*) Scilicet, ranas.

Sede.) Lacu, palude ab aestu exsiccata.

Emori.) Sic ut nulla reliqua maneat.

9 *Credit.*) I. e. Procreabit. optima Locutio, sic Ovidius de Pello, L. VIII. Met. *Magnique creator Achilli.*

Liberos.) I. e. Plures soles.

1 *Personam.*) I. e. Larvam, qua actores in scena vultum &

caput obtegebant, ut sic melius personam quamlibet sustinerent.

2 *O quanta. &c.*) Quam magna & pulchra forma, & effigies!

Cerebrum.) I. e., sanam rationem, sapientiam; unde illud Proverbum: *Caput cerebro vacuum*, i. e. ratione recta destitutum, ingenium stupidum, nullius rei capax.

3 *Illis.*) Propter illos; seu hoc illis adplicari debet.

Honorem.) I. e. Dignitatem.

4 *Sensum communem.*) I. e. Iudicium, facultatem judicandi, intellectum, qualem communiter de rebus homines habere solent, quo qui destituti sunt, stupidi vocantur, sic Horatius L. I. Sat. III. *Communi sensu plane caret.*

FABVLA VIII.

Lupus & Gruis.

QVI pretium meriti ab improbis desiderat,
 Bis peccat: primum, quoniam indignos adjuvat:
 Impunè deinde abire quia jam non potest.

Os devoratum fauce quum hæreret Lupi,
 Magno dolore victus, cœpit singulos
 Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
 Tandem persuasa est jurejurando Gravis,
 Gulæque credens colli longitudinem,
 Periculosam fecit medicinam Lupo.
 Pro quò quum pactum flagitaret præmium:
 Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
 Incolumè abstuleris, & mercèdem postules.

1 *Meriti.*) Beneficii a se col-
 lati; nam absolutè *Meritum*
 usurpatur pro *Benemeritum*.

2 *Peccat.*) I. e. Male, im-
 prudenter facit.

3 *Impunè.*) I. e. sine detri-
 mento, noxa, damno.

4 *Fauc.*) Pro fauci.

5 *Victus*) I. e. Motus, actus.

Singulas.) Omnes quos obvius
 habebat.

6 *Pretio.*) I. e. Præmio Te-
 rentius Andr. *Ego pretium ob
 stultitiam fero.*

Malum.) Os illud devoratum:
 eleganter quidem.

8 *Credens.*) I. e. Committens
 & immittens. Eleganter quidem.

Colli longitudinem.) I. e.
 Collum longum. Hellenismus est,
 ut apud Euripidem *Περσικο*

Νέος, pro *Præmii*, &c. cu-
 jus apud Poetas exempla sunt
 non pauca, sic infra: *Corvi
 st-por*, pro *Corvus stupidus*,
 & similia.

9 *Periculosam, &c.*) Maxi-
 mè grui, quum lupus posset ve-
 rare collum ejus in gulam suam
 immisissimam.

10 *Pactum... præmium.*) I.
 e. Præmium pacto decretum;
 positum.

11 *Inquit.*) Scilicet lupus,
 qui nunc grui respondet.

Ore.) Ellipsis, pro *Ex*, vel
abs ore meo, cui scilicet immi-
 seras caput. Præpositionem omit-
 tit ob verbum subsequens abstu-
 leris, cui vis ejus idest.

Nostro.) I. e. Meo. Synecdo-
 che.

FABVLA IX.

Passer & Lepus.

SIBI non cavere, & aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

Oppressum ab Aquilâ, fletus edentem graves,
Leporem objurgabat Passer: Vbi pernicitas
Nota, inquit, illa est? quid ita cessârunt pedes? 5
Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum rapit.
Questuque vano clamitantem interficit.

Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modò securus nostra inridebas mala,
Simili querela fata deploras tua. 10

1 *Cavere.*) I. e. *Providere.*

3 *Oppressum.* Ordo est. Passer objurgabat leporem ab Aquila oppressum, edentem fletus graves.

Fletus.) Pro, & fletus edentem. Asyndeton.

4 *Vbi.*) Inquit Passer ad leporem. Vbi est illa tua pernicitas nota omnibus? Elegantissimus est usus Particulæ ubi in exprobrationibus, & irrisionibus.

Pernicitas.) I. e. Celeritas: ac *Pernix*, i. e. celer.

5 *Inquit.*) Scilicet, *Passer.*

Quid ita, &c.?) Locutio Elliptica pro, ob quid ita, hoc est, ob quam causam, sic Terentius. *Lætus est nescio quid?* ubi *Propter* deest.

Cessârunt.) I. e. *Pigri*, &

tardi facti sunt, non fecerunt officium suum.

6 *Ipsum . . . nec opinum.*) I. e. Ipsum Passerem non opinantem id. *Nec* hoc loco, ut sæpe, idem significat ac *non*.

7 *Questu vano.*) I. e. Questu inutili; seu frustra.

8 *Semianimus*) Pro, *Semianimis*, sic *Anguis semianimus* apud Ennium. Ad complementum orationis subaudiatur, *inquit*.

In solatio.) Pro solatio; quum hoc sibi esset in solatium mortis. Quidam legunt *in solatium*, quasi *ad solatium*, sed commoda est vulgata lectio.

9 *Nostra . . . mala.*) I. e. Nostrum infortunium.

10 *Fata tua.*) I. e. Tuam mortem.

FABVLA X.

Lupus, & Vulpis judice Simio.

QVICUMQUE turpi fraude semel innotuit,
 Etiam si verum dicit, amittit fidem.
 Hoc adtestatur brevis Æsopi fabula.

Lupus arguébat Vulpem furti crimine:
 Negabat illa, se esse culpæ proximam.
 Tunc judex inter illos sedit Simius.
 Vterque causam quum perorâssent suam,
 Dixisse fertur Simius sententiam:
 Tu non vidéris perdidisse, quod petis;
 Te credo surripuisse, quod pulcrè negas.

10

1 *Turpi fraude.*) Ablativus et causæ, pro, propter turpem fraudem, quicumque semel impostura deprehensus & convictus est.

5 *Proximam.*) I. e. Propinquam, ream. Cicero sic & ad finem culpæ posuit.

6 *Sedit simius.*) I. e. Causæ cognitionem, & judicium sumpsit. Locutio petita a rebus forensibus. Patroni dicebantur stare pro eo, cujus causam tuebantur, sic Ovidius. *Pro Troja stat Apollo*, unde *sedere in aliquem est, alicujus esse judicem*. In simili negotio ita Ovidius Met. L. XIII. *Consedere duces*.

7 *Vterque.*) I. e. Lupus; & vulpes.

Perorâssent.) I. e. Orationem deduxissent ad finem, ac, quantum necesse videbatur, proposuissent; finem orationi imposuissent.

8 *Dixisse.*) Etiam hoc propriè, ac solemniter. Brissonium consule.

9 *Tu.*) Lupe, tam audax, & ferus.

Vidéris.) *Videri*, vel *non videri* erat formula antiqua in sententiis judicum.

10 *Te.*) I. e. O vulpes, quæ soles furari & mentiri.

Pulcrè.) Ironicè, quum significatur contrarium ejus, quod dicitur: i. e. Speciosè, fraudulenter, callidè, scitè, sic Cicero in *Epist. Is pulcrè asseverat*.

B

FABVLA XI.

Asinus & Leo venantes.

VIRTUTIS *expers, verbis jactans gloriam, Ignotos fallit, notis est derisui.*

Venari, Asello comite, quum vellet Leo,
Contextit illum frutice, & admonuit simul,
Vt insuetâ voce terreret feras.

Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
Clamorem subitum totis tollit viribus:
Novoque turbat bestias miraculo:
Quæ dum paventes exitus nostros petunt,

1 *Virtutis.*) I. e. Virium; roboris, fortitudinis. Synecdoche.

Verbis jactans, &c.) I. e. Iactans gloriosa verba.

2 *Ignotos.* Hic activè de iis, qui non noscunt, idem intelligendum de *notis*.

4 *Contextit.*) Occuluit, ut non posset conspici.

Frutice.) Fruticibus, & ramis superimpositis, ne agnosci posset.

6 *Exciperet.*) Verbum proprium venatorum, sic Virgilius. Ecl. III. *Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum.*

Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?

Auritulus. I. e. Asinus, animal oblongis auribus, sic *Laniger* pro *Agnus*, Fab. I. quod lanam gerat: ita solent loqui

Poëtæ, sic alibi: *Latrans* pro *Canis*; *Barbatus* pro *Hircus*, apud alios etiam: *Cornuti*, vel *Mugientes* pro *Boves*; *Volantes* pro *Aves*; *Natantes*, vel *Squamigeri*, pro *Pisces*, & est *Enallage*.

8 *Turbat.*) I. e. Exterret. ita sæpe Virgilina, unde & *Turbidus* pro *Terribilis*, ex Servii interpretatione Tacitus XII. A. c. XVI. *Ductæque altius turres facibus atque hastis turbabant obsessora.*

Miraculo.) Tam insueto clamore, & ignoto adspectu, admirationem adferente.

9 *Quæ.*) Bestiæ.

Exitus notos.) I. e. Vias elabendi, angustos tramites frequentatos, loca, undè aliàs elabi consueverant, sic & Cicero usurpavit, & Cornelius Nepos in vita

Leonis adfliguntur horrendo impetu. 10
 Qui, postquàm cæde fessus est, Asinum evocat,
 Jubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
 Qualis videtur opera tibi vocis meæ?
 Insignis, inquit, sic, ut nisi nōssem tuum
 Animum, genusque, simili fugissem metu. 16

FABVLA XII.

Cervus ad Fontem.

LAUDATIS utiliora, quæ contempseris,
 Sæpè inveniri, hæc exserit narratio.
 Ad fontem Cervus, quum bibisset, restitit,

Hannibalis. Quum omnes exitus
 occupatos offendisset. Horat. I.
 Od. II. Nota quæ sedes fuerat
 columbis.

Adfliguntur.) Alliduntur ter-
 ræ, ex Gronovii interpretatione.

11 Qui.) Scilicet, Leo.

Evocat.) Ex fruticibus, sub
 quibus tectus & reconditus
 erat.

12 Vocem premere.) Compri-
 mere, id est, tacere, silere, ver-
 ba, clamorem non edere, sic
 Virgilius. Sic memorat, vocem-
 que premit,

Insolens.) Asinus felici eventu
 insolens, inflatus, tumidus, su-
 perbus & audax factus, ait.

13 Opera, . . . vocis meæ?) I.
 Clamor, usus, auxilium, &
 labor, sic Nepos in vita Alci-
 biadis, c. IV. Ejusdem opera

Ioniam a societate averterunt
 Atheniensium.

15 Simili metu.) I. e. Eodem
 metu, quò aliæ bestię.

1 Laudatis utiliora, &c.)
 Locus obscurior, propter Elli-
 psin, totus sic se habet. Narra-
 tio hæc exserit, inveniri sæpe,
 utiliora esse ea, quæ contempse-
 ris, laudatis, hoc est, quam
 ea, quæ laudantur. Laudata hic,
 quæ opponuntur contemptis, sunt
 æstimata, magni facta.

2 Exserit.) Prodit, aperit,
 notum facit, sic Ovidius ad Pison.
 Tu, Pise, latentem exsere.

Narratio.) Fabula, argumen-
 tum, exemplum, sic & Lib. V.
 Fab. II.

3 Ad fontem.) Ad loci desi-
 gnat propinquitatem.

Restitit.) Stetit, sic & Lib.

Et in liquóre vidit effigiem suam.
 Ibi dum ramósa mirans laudat cornua,
 Crurumque nimiam tenúitatem vituperat,
 Venantum subitò vocibus conterritus,
 Per campum fugere cœpit, & cursu levi
 Canes elusit. Silva tum excépit ferum,
 In quá retentis impeditus cornibus;

5

10

III. Fab. VII. & XIV. sic Terentius Phorm. V. VI. *Id quidem jam tibi fiet, nisi resistis, verbero.*

4 *In liquore.*) I. e. In aqua fontis; prout in Fab. I. idem fere est Fab. IV. *De Cane. Effigiem suam.*) Sic eadem Fab. IV. *Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.*

5 *Ramosa . . . cornua.*) I. e. Cornuâ ramis similia; seu multis ramis exornata. Est Poëtica Locutio, sic Virgilius Ecl. VII. 30. *Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.* Et hæc quidem usurpata per Translationem, seu Metaphoram.

7 *Venantum.*) Pro Venatorum per Enallagen, & est genitivus pluralis numeri participii. *Venans, antis a Venor, aris,* sic *Natantes* pro *Pisces*, Lucret. II. 343. Viig. Georg. III. 541. *Medentes* pro *Medici*, Lucret. I. 934. Naso Met. XV. 629. *Incolentes* pro *Incolæ*, Curt. VIII. X. 19. X. XVII. II. sic etiam apud Virgilium. *Hinc populum late regem.*

Vocibus.) Consueto clamore, quo hortantur canes.

8 *Fugere cœpit.*) I. e. Fugit, sic mox, *Lacerari cœpit.* Locutio Phædro familiaris.

9 *Elusit.*) Elegantissimè pro, *Effugit, evadit, decepit,* propriè. *Eludere* est verbum gladiatorium, prout Donatus observat ad Terent. Eun. I. I. 10. confer Samuelem Pitiscum ad Sueton. August. XXXIV. 4.

Silva, &c.) In silvam postea se contulit cervus.

Ferum.) I. e. Cervum, sic & infra Lib II. Fab. VIII. 14. de Cervo etiam, *Tum gaudens ferus, &c.*) sic vocabant antiqui omnes animantes rationis expertes, idem Phædrus infra Fab. XXI. De Leone: *Asinus ut vidit ferum = Impure lædi.* Virgilius de Equo Trojano L. II. En v. 51. *In latus inque feri curvam compagibus album feru,* scilicet equi. Non substantivè pro *Fera* positum est, sed est adjectivum & subintelligitur per Ellipsin substantivum formæ mascululæ; & mitto plura alia exempla, quæ in frequenti usu.

10 *In qua.*) Scilicet, silva. *Retentis impeditus, &c.*) Quum cornua ejus a stipitibus,

Lacerári cœpit morsibus sævis Canum.
 Tunc moriens, vocem hanc edidisse dicitur:
 O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
 Vt illa mihi profuerint, quæ despexeram,
 Et quæ laudâram, quantum luctûs habuerint!

15

FABVLA XIII.

Vulpis & Corvus.

QVI se laudari gaudent verbis subdolis,
 Særæ dant pœnas turpes pœnitentiæ.
 Quum de fenestrâ Corvus raptum caseum

& ramis retinerentur, eumque impedirent, &c. Alii legunt, *Relentus impeditis*. Cæsar de Bello Civili. L. III. 77. *impeditissima dixit itinera*, alibi *impeditas ripas*, sic etiam Hirtius non uno quidem loco.

14 *Vt.*) I. e. *Quantum*, quam; & admirativè sape.

Illa.) Scilicet, Crura, Zeugma.

Quæ.) Scilicet, crura despexerat ob suam tenuitatem, quum in liquore effigiem suam videret.

15 *Quæ.*) I. e. *Ramosa cornua*, secundum aliquos hic versus delendus videtur, & spurius est.

Quantum luctus!) I. e. Quantum damni; seu quantum damnum, & luctum proinde ex ipso attulerint!

1 *Subdolis.*) I. e. Dolo for-

matiss, & compositis ad voluntatem audientis.

2 *Særæ . . . pœnitentiæ.*) I. e. Sero eum pœnitet, dum solvit pœnas, cum aliorum derisu.

Dant pœnas.) Pœnas dant, qui pœnis digna perpetrânt, dicimus enim: *Pendere, Dependere, Solvere, Persolvere, Luce-re pœnas*: & ista quidem patientis sunt, agentis autem, *Exigere, Poscere, Repetere, Capere, Infligere, Irrogare pœnas*.

Turpes.) Ob aliorum risus, quibus sust. expositi: hoc sensu dicimus, *Dare se turpiter*, i. e. se risui aliorum exponere.

3 *Defenestra.*) I. e. De quocumque foramine in muro alicujus parietis, vel domus, ubi casu positus fuerat caseus.

Comesse vellet, celsâ residens arbore;
 Hunc vidit Vulpis, dehinc sic occœpit loqui:
 O quî tuarum, Corvê, pennarum est nitor!
 Quantum decôris corpore, & vultu geris!
 Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
 At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
 Emisit ore caseum, quem celeriter
 Dolosa Vulpis avidis rapuit dentibus.
 Tum demum ingenuit Corvi deceptus stupor.

5

10

4 *Comesse.*) I. e. Comedere.
Residens.) I. e. Sedens, sic
 supra. *Restitit*, pro *Stetit*.

5 *Occœpit.*) Plautinum est.
 Phædrus aliis in locis cœpit, per
 Græcismum ipsi familiarissimum.

6 *O qui!*) O qualis, o quantus,
 quam magnus, quam admirabilis! sic Cicero I. de
Divin. Xenophon Socraticus, qui
vir & quantus?

Nitor.) I. e. Splendor.

7 *Geris.*) I. e. Habes, sic Terentius,
infirnum animum gerunt, i. e. habent. Virgilius
 Æn. XII. *Cuncta gerens, vocemque,*
& corpus & arma Metisci. Ex germana &
 ingenua Latinitate gerere pro habere
 positum.

8 *Vocem.*) I. e. Cantum.

Prior.) I. e. Pulcior, præstantior,
 æstimabilior, melior, seu potior te: qui
 ablativus per Ellipsin subintelligendus est,
 sic superlativus *Primus* ponitur pro
Excellentissimus, Præstantissimus,
Maximus, Princeps, sic Virgilius Æn. XI.
Hic pietate prior.

9 *Ostendere.*) I. e. Significare, sibi non
 deesse vocem.

10 *Emisit.*) I. e. Ore demisit, sic Fab. IV.
Quem tenebat ore, demisit cibum, sic Terentius
 Phorm. V. V. *Emissa est manu.*

12 *Tum demum.*) Eleganter notat
 iudicii tarditatem. Terentius Heaut. II. III.
Vah, nunc demum intelligo, confer ibi Donatum.

Ingenuit.) I. e. Cum gemitu dixit.

Corvi deceptus stupor.) Pro, Corvus
 stupidus deceptus, torpore captus, sic,
Error Hercules, i. e. Hercules errans. Virgilius
 Æn. XI. 376. *Talibus exarsit dictis*
violentia Turni, i. e. Turnus violentus:
 Persius dixit, *Cor Ennii*, pro ipse Ennius.

Homerus L. VIII. *Odyss. μέγρος Π'φαίσιον*,
Robur Vulcani, i. e. Vulcanus robustus.
 Confer sis ea quæ ad Fabulam VIII. & V.
 ad vocem *Improbitas* notata reliqui.

13 *Hac re.*) I. e. Hac fabula, hac
 narratione, hoc exemplo, hoc argumento,
 infra Fab. XXVII. *Hac res avaris esse*
conveniens potest.

Hâc re probatur, quantum ingenium valet,
Virtuti & semper prævalet sapientia.

FABVLA XIV.

Ex Sutore Medicus.

MALUS quum Sutor, inopiâ deperditus,
Medicinam ignoto facere cœpisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbôsis adquisivît sibi famam strophis.
Hic quum jaceret morbo confectus gravi

5

Ingenium.) I. e. Præsens
mentis perspicientia.

14 *Virtuti.*) L. e. Fortitudini,
robori corporis; quo sensu, origi-
nem suam deducit a viro. Vnde
Cicero, Tuscul. Q. 11. 18. *Ad-
pellata est a viro virtus; Viri
enim proprie maxime fortitudo.*
Alli legunt *virtute.*

1 *Malus.*) I. e. Rudis, im-
peritus artis sutoriæ, sic *Poetam
malum* dixit Cicero in Libro *De
Natura Deorum.*

Deperditus.) Eleganter de eo,
cujus facultates omnes sic ex-
haustæ, ut jam sutor esse diu-
tius non posset.

Ignoto . . . loco.) I. e. In loco
peregrino, ubi cognitus non erat.

Facere medicinam.) Artem
medicam exercere, profiteri, sic
Plantus *Aulul.* IV. III. *Facere
artem ludicram.* Cicero in *Verr.*
c. LIX. *Facere argentariam,*
item, *Facere mercaturam.*

3 *Falso antidoti nomine.*) I.
e. *Falsi nominis antidotum,* i.
e. quod falso habebat hoc no-
men: seu nescio quid sub falso
nomine *Antidoti,* quod est medi-
cina, seu medicamentum contra
venena.

4 *Strophis.*) I. e. Fallaciis,
orationibus dolosis; & eleganter
quidem, laqueis verborum, ut
Cicero adpellat *Orat. pro Cæci-
na,* ut sunt strophæ propriè la-
quei decipiendis feris.

5 *Hic.*) I. e. Tunc, eo tempo-
re; elegantissimè sic Virgilius
III. *Æn.* 533. *Hic Priamus
quanquam in media jam morte
tenetur, non tamen abstinuit.*
Vbi Servius; *hic, i. e. tunc.*
Terentius *Hecyr.* I. II. *Hicani-
mus partim uxoris misericordia
devinctus.* Vbi Donatus *hic pro
tum.*

laceret.) I. e. Decumberet
præ ægitudine. Cicero IX. *Ep.*

B 6

Rex urbis, ejus experiundi gratiâ,
 Scyphum poposcit: fusâ dein simulans aquâ
 Antidoto miscère illius se toxicum,
 Hoc bibere jussit ipsum, posito præmio.
 Timore mortis ille tum confessus est,
 Non artis ullâ Medicæ se prudentiâ,
 Verùm stupore vulgi factum nobilem.
 Rex, advocatâ concione, hæc edidit:
 Quantæ putâtis esse vos dementiæ,
 Qui capita vestra non dubitatis credere,

10.

15

XX. *Ego, te jacente, bona tuâ comedam.*

Confectus.) Viribus ex vi morbi prostratis.

6 *Rex.*) Hic est, qui summam tenet Reipublicæ, atque sic antiquitas appellabantur singularum quoque urbium moderatores.

Vehis.) In qua exercebat hic melior medicinam.

Ejus experiundi gratiâ.) Ut ipsum tentaret, exploraret, ut periculum faceret, si verè esset, ut prædicabat, Medicinæ peritus, quam ille profitebatur, sic Terentius Hecyr. v. 2. *Hanc nunc experiamur.* Plaut. Mercat. *Vin, me expiriri? volo, mercedem cedo.*

7 *Fusâ . . . aquâ.*) I. e. Infusa aqua in scyphum simulans se miscere, sic Ovidius Met. XIV.

36. *Fusos latices.*

8 *Miscere.*) Propriè dicitur de veneno, sic Ovidius Met. L. I. *Lurida terribiles miscent aconita novercæ.*

Toxicum.) Antiquitus *Taxi-*

cum ab arbore *taxo* pestifera, unde *Taxico, are*, est veneno inficere.

Ipsum.) Scilicet, Sutores, promisso, si bibisset, præmio.

Posito præmio.) I. e. Proposito, sic Virgilius *Æn.* V. 292. *Invitat pretiis animos, & præmia ponit.*

10 *Mortis.*) I. e. Imminentis ex haustu poculi venenati, sicut credebatur.

11 *Prudentia.*) Id est. Scientia, peritia, ita plane Ovidius in Epist. Oenones. *Deficior prudens artis ab arte mea*, sic Cicero dixit, *prudentiam litterarum: & Ovidius, prudentiam operum.*

12 *Stupore vulgi.*) I. e. ob stuporem, ac nimiam vulgi credulitatem.

13 *Advocata concione.*) I. e. Congregata populi multitudine: postquam populum advocasset. Conferatur, Laurent. Valla *Elegant.* L. III. c. XLVII.

15 *Capita vestra.*) I. e. Vi-

Cui calceandos nemo commissit pedes?
Hoc pertinere verè ad illos dixerim,
Quorum stultitiâ quæstus impudentiæ est.

FABVLA XV.

Asinus ad senem Pastorem.

IN principatu commutando civium,
 Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum parva hæc fabella indicat.]
 Asellum in prato timidus pascébat Senex:
 Is, hostium clamore subito territus,
 Suadébat Asino fugere, ne possent capi.

tas vestras; nam caput hoc loco
 pro ipsa vita, aut salute ponitur,
 ut apud Ciceronem Acad.
 IV. 38. & quidem elegantissimè.

Non dubitatis.) I. e. Audetis,
 sustinetis, nihil verèmini.

16 *Cui.)* Subaudiatur per Ellipsis
 dativus præcedens ei, cui.

Calceandos.) I. e. Calceis
 exornandos, instruendos, munien-
 dos.

Commissit.) Pro *Commiserit*
 per Arcaismum notissimum, &
 sanè ita postulat purioris Latini-
 tatis ratio, ita *pugnasset* pro
pugnaverit, *commossit*, pro *com-*
noverit; *nescis* pro *nescieris*
 apud Terentium, & similia.

17 *Quorum stultitia.)* I. e.
 Quorum hominum stultitia, &
 implicitate quæstum facere pos-

sunt improbi & impudentes, qua-
 lis hic sutor fuisse describitur:
 aliqui interpretes capiunt *stul-*
titiâ nominativo casu; & erit
 appositio: stultitia aliorum est
 quæstus impudentium. Ita Li-
 vius XXV. I. *Et quæstus ex*
alieno errore facilis est.

1 *Principatu.)* Generatim sic
 adpellat quodvis imperium: con-
 fer Ciceronem Epist. ad Att.
 L. XV. 4.

Commutando.) I. e. Dum com-
 mutatur.

Pauperes.) I. e. *Miseri, in-*
feriores. Eos quidem intelligit,
 qui quacumque ex causa subesse
 aliis coguntur, nullo speciali
 respectu ad inopiam nummorum.

6 *Fugere.)* I. e. Fugam, per
 Enallagen, Græca consuetudine:

At ille lentus: Quæso, num binas mihi
 Clitellas impositurum victorem putas?
 Senex negavit. Ergo, quid refert meâ,
 Cui serviam? clitellas dum portem meas.

10

FABVLA XVI.

Cerous & Ovis.

FRAUDATOR nomen quum locat sponsu improbo,
 Non rem expedire, sed mala videre expetit.

consule sis Minervam Sanctianam
 L. III. c. VI. de qua Locutio-
 ne vide Cl. Gronovium ad Li-
 vium II. V.

Possent.) Hic pluralis respi-
 cit ad aselum & senem pasto-
 rem. *Ne possent capi*, pro *Ne*
caperentur.

7 *At ille.*) Subaudiatur per
 Ehipsia, dixit: venusta formula:
 sic Fab. XIII. *At ille stultus.*

Binas.) I. e. Alias novas,
 una cum his, quas gero, dupli-
 cenque sarcinam.

8 *Victorem.*) I. e. Eum a quo
 captus sim.

9 *Negavit.*) I. e. Dixit non
 impositurum.

Ergo.) Scilicet, dixit asinus.

10 *Cui serviam?*) Scilicet,
vestrum; i. e. tibi, an hostibus,
 si ab illis capiar.

Dum portem.) Dum non ma-
 jori, sed eidem solum oneri, ac
 labori ero obnoxius: seu, si ta-

men quotidie mihi portandæ sunt
 meæ clitellæ.

1 *Fraudator.*) Id est, quum
 fraudator alios decipere, seu frau-
 de prosequi creditores intendit,
 idque per sponsorem improbum.
Fraudator is dicitur qui in frau-
 dem creditorum, & eorum frau-
 dandorum causa quid fecit, ges-
 sitve.

Nomen.) Debitor dicebatur lo-
 care nomen: nomen facere dice-
 batur creditor, quum in tabulis
 accepti & expensi nomen ejus,
 cui pecuniam dabat, scribebat.

Sponsu improbo.) *Sponsus* hoc
 loco idem ac *Sponsor*, prout a
 veteribus sic usurpatur. *Improbo*,
 quia ille sponsor solvendo non
 est, ita Horatius II. Epist. II
 v. 67. *Hic sponsum vocat, hic*
auditum scripta, relictis omni-
bus officiis, confer ad hunc lo-
 cum Burmannum.

2 *Non rem expedire.*) I. e.

Ovem rogábat Cervus modium trici,
 Lupo sponsore: at illa, præmetuens doli:
 Rapere, atque abire semper adsuevit Lupus,
 Tu de conspectu fugere veloci impetu:
 Vbi vos requíram, quum dies advenerit?

5

FABVLA XVII.

Ovis, Canis, & Lupus.

SOLENT mendaces luere pœnas malefici.

erogare pecuniam, quam debet: ille non quærit sponsa persolvere, & ære alieno exire, sed novarum rerum studiosus ad malos successus cogitationes suas confert.

Mala videre expetit.) I. e. Damnum illius, a quo rem quærit, non redditurus.

Lupo sponsore.) I. e. Spondente solvere pro ipsomet cervo.

Ille.) Scilicet ovis, & subaudiatur, ait, per Ellipsin.

Præmetuens doli.) Statim & in antecessum metuens, optima & Phædro digna locutio: sic metuentior undæ, Ovid. Epist. Herus, quem lege in Fast. L, VI. . . . Quo non metuentius ullum Numinis ingenium terra Sabina tulit.

quomodo & metuens periculi apud Maronem Æn. V. sic & alij Poëtæ.

5 Abire.) Statim ac rapuit, non ultra cogitans restituere. Eleganter quidem hæc.

6 Tu.) Et tu, Scilicet, cervus, soles, &c. quod verbum subauditur per Ellipsia.

De conspectu.) *E conspectu.* Terentius Eun. sed tamen *de* sic usurpavit Cicero in Verr. *De complexu parentum ad mortem raptus.*

7 Dies advenerit.) I. e. Dies solutioni æris alieni solemniter præstituta: in his elucet Ellipsis: dies hoc loco est certum & constitutum tempus, ad quod, quacumque ratione, tenemur; atque ita optimi loquuntur Scriptores, C. Nepos in T. Pompobii Attici vita. c. IX. *Quum illa fundum secunda fortuna emisset in diem.*

1 Luere pœnas malefici.) Puniri ob maleficia; ob mala quæ improbè admiserunt: note-

Calumniator ab Ove quum peteret Canis,
 Quem commodasse panem se contenderet;
 Lupus citatus testis, non unum modò
 Debèri dixit, verùm adfirmavit decem.
 Ovis, damnata falso testimonio,
 Quod non debèbat, solvit. Post paucos dies
 Bidens jacentem in foveâ prospexit Lupum:
 Hæc, inquit, merces fraudis a Superis datur.

FABVLA XVIII.

Canis Parturiens.

HABENT *insidias hominis blanditiæ mali,*
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.

tur Apocope in *maleficii*: sic infra L. IV. *Iustique vindicavit exemplum imperii.*

2 *Calumnitator.*) Sensus est, quum canis calumniator (seu per Grammaticorum *appositionem*, seu adjectivè hic, qui calumnias exercet) peteret panem ab ove, quem scilicet panem contenderet se commodasse, scilicet ovi: ordo est turbatior, ubi elucet Synchysis.

3 *Commodasse.*) Walchius cum aliis legunt *commenlasse*, pro *deposuisse*, *comisisse*: sed videantur interpretationes.

Contenderet.) I. e. Crebro & constanter adfirmaret. Nepos in Epam. c. VIII. *Sua opera fa-*

ctum contenderent, ut legi non obedirent.

4 *Vnum.*) Scilicet, panem.

5 *Deberi dixit.*) Scilicet, ab ove; i. e. Ovem cani debere.

6 *Testimonio.*) Lupi falso testantis eam debere tot panes.

8 *Bidens.*) Pro *Ovis*: passim apud Poetas.

Iacentem.) I. e. Delapsam & captam: solebant enim capi olim quoque foveis, unde Horatius L. I. Ep. XVI: *Cautus enim metuit foveam lupus.*

1 *Habent*) I. e. Continent in se, optimè. Sic Cicero II. de enim Legibus, C. XXVI. *Habet luctum concursus hominum.*

Blanditiæ.) Adulationes.

Canis partúriens, quum rogásset alteram,
 Vt fœtum in ejus tugurio depóneret,
 Facilé impetravit: dein reposcenti locum,
 Preces admovit, tempus exorans breve,
 Dum firmiores posset cátulos ducere.
 Hoc quoque consumpto, flagitáre validiùs
 Cubile cœpit. Si mihi, & turbæ meæ
 Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

10

3 *Canis.*) Exstat hæc Fabula apud Iustinum LI XLV. c. IV.

Alteram.) Pro, *aliam* canem ut sibi permitteret parturire: sic Cicero de Off. III. *Detrahere autem alteri sui commodi causa: &c.*

4 *Fœtum.*) I. e. Onus naturæ, ut ipse Phædrus loquebatur.

Tugurio.) Tugurium a legendo, quasi *tegurium*, est habitatio rusticorum, etiam animalium, constructa vel arundine, vel ulva palustri, & stramentis, vel cespite, vel latere. Q. Curtius VII. III. 8. *Tuguria latere prime struunt, & quia sterilis est terra materia; &c.*

Deponeret.) I. e. Deponere liceret.

6 *Preces admovit, &c.*) Dein admovit preces eidem canis reposcenti, ut ipsa liberum relinqueret locum, & abiret: sic & infra loquitur L. III. Fab. XVI. & Lib. IV. Fab. XXV.

Exorans.) I. e. Valde orans; orando impetrans. Præpositio vocis hujus *ex* auget ejus significationem: sic est *exhaurire*, *exaudire*.

7 *Dum.*) I. e. Donec: sic Virgilius Æa. III. 16. *Dum fortuna fuit.*

Firmiores catulos.) I. e. Factos, adolescendo, robustiores.

Ducere.) Inde secum abducere, vel educere e tugurio.

8 *Hoc . . . consumpto.*) Scilicet, Hoc tempore finito, transacto, præterito.

Flagitare.) Eleganter quidem: confer Ciceronem in Epistola ad Quintum Fratrem, & Quinctilianum quum scribit ad Tryphonem.

9 *Cubile.*) Tugurium, & quum altera canis negaret, instando ut abiret, illa inquit.

Turbæ meæ.) I. e. Catulis meis, pullis; seu turbæ meorum catulorum.

FABVLA XIX.

Canes Famélici.

STULTUM *consilium non modò effectu caret,*
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

Corium depressum in fluvio viderunt Canes:
 Id ut comesse extractum possent faciliùs,
 Aquam cœpere bibere: sed rupti priùs
 Periére, quàm, quod petierant, contingerent.

FABVLA XX

Leo senex, Aper, Taurus, & Asinus.

QVICUMQUE *amisit dignitatem pristinam,*
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.

Defectus annis, & desertus viribus

1 *Effectu caret.*) I. e. Nequit efficit: quomodo *culpa caret*, pro nequit culpari.

2 *Mortales.*) Sumi potest substantivè, & adjectivè, ut subintelligas homines

Devocat.) I. e. In ruinam homines duxit: infra L. III. Fab. V. *Successus ad perniciem multos devocat.*

3 *Depressum.*) I. e. Mersum: sic *deprimere naves* apud Nepotem.

4 *Comesse.*) I. e. Comedere ipsum corium ex aquae ductum; nam *esse* est edere.

5 *Rupti.*) Disrupti, ob nimiam scilicet, quam biberant, aquam.

6 *Quod.*) Scilicet, ipsum corium.

Contingerent.) I. e. Tangerent, adtingerent. manente scilicet eadem fluminis altitudine. Virgilius *Æn.* II. . . . *funenque manu contingere gaudent.*

2 *Ignavis.*) I. e. Imbellibus, timidis derisui est & contemptui: sic *notis est derisui*, Fab. X.

3 *Defectus annis.*) I. e. Qui deficiebat propter annos, seu quum jaceret propè moribundus,

Leo quum jaceret, spiritum extremum trahens,
 Aper fulmineis ad eum venit dentibus; 5
 Et vindicavit ictu veterem injuriam;
 Infestis Taurus mox confodit cornibus
 Hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
 Impunè lædi, calcibus frontem exterit.
 At ille exspirans: Fortes indignè tuli 10
 Mihi insultare: te, naturæ dedecus,
 Quod ferre certè cogor, bis videor mori.

fractus, debilitatus, morti proximus Leo extrema ætate. *Quin & defecta corporis viribus* Sibylla dicitur Servio ad *Æs.* VI. 321. Alii legunt *Confectus*, ut Camerarius quoque Fab. CXCVII. *Leo confectus senio.* *Viribus.*) Subintelligitur per Ellipsin præpositio *a.*

4 *Trahens.*) Eleganter. Significatur difficultas, & quasi ultimi conatus vivendi.

5 *Fulmineis...*) Omnia stermentibus instar fulminis, quod dissipare & concutere solet quodcumque attingit: sic Ovidius L. X. *Metam.* v. 550.

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.

6 *Vindicavit... veterem injuriam.*) Ictu dentium ultus est injuriam, jam diu a Leone sibi inlatam.

Ictu.) I. e. Morsu; nam de dentibus locutus est.

8 *Hostile corpus.*) I. e. Corpus Leonis sui hostis.

Ferum.) Scilicet, Leonem,

9 *Exerit.*) I. e. Committit, terendo, & calcitrando confringit. Gudianus, *excludit.*

10 *Exspirans.*) I. e. Moriens. Tacitus Hist. III., 84. 4. *Multi semianimes super turrès & propugnacula moenia exspiravere.*

Fortes.) Scilicet. Aprum, & Vitulum. *Indignè.*) Cum indignatione, memor pristinarum virium.

11 *Naturæ dedecus.*) Elegans appellatio asini. I. e. Te, asine, qui es naturæ dedecus: infra in fine Libri II. *Sinistra quos in lucem natura extulit.*

12 *Bis videor mori.*) Est locutio sæpe usitata, pro magnum dolorem & acerbiteriam ex morte sentire. Semel per vim, iterum per infamiam, quod cogor ferrè inultus te, ó Asine, vilem adeo, & ignavum; quum fama bona sit velut altera vita; & ob id vitæ æquiparatur: veteres calamitatem mortis leviorē esse putabant, quum per clarissimi

FABVLA XXI.

Mustella & Homo.

MVSTELA ab homine presa, quum instantem necem Effugere vellet: Quæso, inquit, parcas mihi, Quæ tibi molestis muribus purgo domum. Respondit ille: Faceres si causâ meâ, Gratum esset, & dedissem veniam supplici. 5 Nunc, quia labóras, ut fruaris reliquis,

viri virtutem, ac manum caderent, ut est illud Virgillii *Æn.* X. 829.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem.

Æneæ magni dextra cadis

sic eam multo graviolem credebant, & magnum erat dedecus, si ab ignobili hoste vincerentur, quippe quod Leo exemplo suo satis testatur, ex Walchio.

1 *Mustela.*) Domestica intelligitur; ut ex sequentibus adparet; nam *mustela* teste Plinio XXIX. c. IV. duorum est generum, alia *domestica*, *silvestris* alia.

Ab homine.) Ignoto, & incerto, sic Plautus *Pseud.* IV. 2. *Quis hic homo chlamydatus est?*

Presa.) I. e. Capta.

Instantem necem.) Sic Liber II. Fab. VIII. *Vi venatorum iugeret instantem necem.*

3 *Quæ tibi, &c.*) Ordo est: *Quæ purgo domum muribus molestis tibi: nisi tibi ornatus cau-*

sa addatur orationi, ut sæpe fit. Terentius *Phorm.* V. VIII. 21.

Qui mi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes. Horatius *Lib. I. Epist. III. Quid mihi Celsus agit?* confer Manutium ad Ciceronem *Famil. IX. Epist. II. & Virgilium Æn. II. 258.* ex nuperrima Olisiponensi Editione.

Faceres si.) Si hæc tua opera mihi daretur, ut habet Camerarius Fab. CCXIII. Alii: Facerem, si causa mea, gratum esset, i. e. parcerem tibi; sed malè sanus sensus est.

Causa mea.) I. e. Propter me, in meam utilitatem.

5 *Gratum esset.)* Acciperes pro ea opera vicem, si mea causa faceres.

Supplici.) Tibi, quæ pro salute vitæ tuæ suppliciter me oras; ego motus precibus tuis; &c.

6 *Laboras.)* In captandis muribus; seu operam das capiendis muribus, ut absumas semina eorum frustra, eosque devores.

Quæ sunt rosûri, simul & ipsos dévores,
Noli imputâre vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus, improbam leto dedit.

Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

10

Reliquis.) Iis quæ supersunt a cœnis, & decidunt in mensis ex pane, aliisque cibis in terram, & deinde a muribus comedi solent. * Alli non admittunt vocem *reliquis* quod putent sic laborare versum, & pro eo *reliquis* reponunt, sed nihil periculi est, *reliquis* enim vel est quadrisyllabum, vel *reliquis* potest scribi, ut prima syllaba producat. Confer sis Walchium, Gudium & Burmannum.

7 *Ipsos.)* Scilicet Mures.

8 *Noli imputari.)* I. e. Noli jactare & venditare, quod mihi pro beneficio dederis.

Vanum beneficium.) I. e. *Fictum, mendax.* Specie solum & exterius, non re autem tale est meritum; nam intus nihil est: sic Virgilius *Æn.* IV. *Vana fides*, id est, *falsa*, ut interpretatur Servius: ita *Æn.* II. *Vanum mendacemque*, de Sinone.

9 *Atque ita.)* Sic supra Fab. I. *Atque ita correptum lacerat injusta nece.*

Improbam.) Scilicet; Mustellam crudelem & avaram: ad eundem modum I. II. Fab. I. *Et improbum reject.*

Leto dedit.) I. e. Interfecit, & est Poëticum dicendi genus: sic Ovidius Ep. II. *Phyllida Demophen leto dedit*: ita *leto petere.* Seneca Herc. Fur. 630,

In se.) Contra se. Terentius Adelph. I. II. *Nolo in illum gravius dicere*, supra Fab. VII. *Hoc illis dictum est.*

11 *Quorum privata, &c.)* I. e. Qui quicquid agunt, id sua causa & in privatam suam utilitatem agunt, & tamen venditant credulis & imperitis pro beneficiis quum beneficia revera non sint. *Utilitas.)* Usus, sive id, quo quis potest esse utilis: sic Cicero in Epist. *Utilitatibus tuis possum carere.*

12 *lactant.)* I. e. Iterum atque iterum repetit Virgilius *Æneïdes* II. 588. *Talia jactabam.*

Imprudentibus.) I. e. Apud imprudentes, i. e. simplices; ignavos, qui imprudenter se ab aliis decipi permittunt: contrario sensu vocat *peritos*. Fab. sequenti, & *cautos* Fab. XXV. sic supra Fabio XIV. *Quorum stultitia quæstus est imprudentice.*

FABVLA XXII.

Canis Fidelis. 2

REPENTÈ liberalis, stultis gratus est,
Verùm peritis inritos tendit dolos.

Nocturnus quum fur panem misisset Cani,
Objecto, tentans, an cibo posset capi:
Heus, si, inquit, linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini, multum falleris. 5

1 *Repentè.*) Ex improvise,
& præter spem, quia præter
consuetudinem ejus: ita Cicero
L. V. Epist. Fam. IV. *Cæsar
repentè præter spem dixit.*

Liberalis.) Quicumque præter
rationem liberaliter aliquid
donat.

2 *Tendit.*) Metaphoricè a ve-
natione deductum: nam tendi re-
tia dicuntur feris, quum captan-
tur, sic *tendere insidias* dixit
Sallustius in Catil. Horatius
Epod. II. *Aut amite levi rara
tendit retia, Turdis edacibus
dolos.*

Dolos.) Hinc Laocoon apud
Virgilium II. *Æneid.* arguit:
Danaos debere esse suspectos,
quod dona ferant.

3 *Nocturnus.*) Noctu furari
solitus: sic *nocturni advocati*,
qui noctu vocantur.

Panem misisset.) I. e. Panem
objecisset, projecisset, proprie:
sic Lib. III. Fab. VII. noster
hoc vocat *frusta jactare.*

4 *Objecto, tentans, &c.*) I. e.
Experimentum faciens, an ob
panem projectum retineri posset,
ne lairaret, propriè quidem.

Tentans.) Absolutè, Cicero
in Parad. *Tentare volui, an ita
dici possent:* sic idem Phædrus
infra Lib. IV. VII. *Hæc quum
tentaret, si qua res esset cibi.*

5 *Præcludere.*) Supra Fabu-
la II. *Vocem præcludit metus:*
sic Ovidius II. Met. 658. *Vo-
cisque meæ præcluditur usus.*

6 *Pro re domini.*) Costodien-
da scilicet, & conservanda; ce-
terum rei appellatio generalis
est, & extenditur ad omnia bo-
na, quæ quis possidet: sic infra
Lib. III. III. *Pro vita royant.*

Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne meâ culpâ lucrum.

FABVLA XXIII. 3

Rana-rupia, & Bos.

INOPS, *potentem dum vult imitari, perit.*

In prato quodam Rana conspexit Bovem,
Et, tacta invidiâ tantæ magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an Bove esset latior.
Illi negârunt. Rursus intendit cutem

7 *Subita... benignitas.)* Repentina liberalitas, quam, præter solitum, ostendis: nam in principio Fabulæ est. *Repentè liberalis stultis gratus est.* Terentius in Adelphis dixit, *subitam largitatem.*

8 *Meâ culpâ.)* I. e. Me non vigilante.

Facias lucrum.) I. e. Nequid furto lucreris: optimè: sic Plautus in Merc. Prologo. *Vendidi ex sententia, lucrum ingens facio.*

1 *Inops.)* Idem Syrus, v. 934. *Vbi caput divitem pauper imitari, perit.*

Potentem.) I. e. Divitem: sic Terentius Eun. II. III. *Quis est tam potens cum tanto munere; & Horatius Carm. I. O. l. X... nec potentem amicum largiora flagilo.*

5 *Tacta invidia.)* Elegantissimè. I. e. Commota, correpta,

& incensa; seu quum invidia hujus magnitudinis in ea exurgeret.

Invidia.) Sensu activo: qua illi invidebat: sic Cicero I. Epist. Fam. I. *Religionis calumniam malevolentia, & illius regie largitionis invidia comprobat.*

4 *Inflavit pellem.)* Si forte Bovem æquaret.

Natos suos.) Nati hic de Ranis: de pullis apri Lib. II. Fab. IV.

5 *Latior.)* I. e. Major, altior.

6 *Negarunt.)* I. e. Responderunt non esse tam latam.

Rursus intendit cutem.) I. e. Rursus intendit majore nisu cutem inflare.

7 *Nisu.)* I. e. Opera labore, conatu: sic Virgilius III. Æn. 38. *Tertia sed postquam majore hastilia nisu Aggredior.*

Majore nisu; & simili quæsit modo,
 Quis major esset? Illi dixerunt, Bovem.
 Novissimè indignata, dum vult validiùs
 Inflare sese, rupto jacuit corpore.

10

FABVLA XXIV.

Canis & Crocodilus

CONSILIA qui dant p̄va cautis hominibus,
 Et perdunt operam, & deridentur turpiter.

Canes currentes bibere in Nilo flumine,
 A Crocodilis ne rapiantur, traditum est.
 Igitur quum currens bibere cœpisset Canis,
 Sic Crocodilus: Quam libet lambe, otio

5

Et simili quæsit modo.)

I. e. Et eadem ratione, ut antea ex natis quæsit, num rana, an bos major esset.

8 *Quis.*) Hic valet *Vter*; bos, an ipsa. Virgilius XII. *Æn.* v. 657:

..... *Mussat Rex ipse Latinus*

Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.

ubi Servius, *Quos pro utros: sic & Græci.*

9 *Novissimè.* I. e. Ultimo.

10 *Jacuit.*) Hoc verbum addit, ut contentum ranæ superbæ exprimat, nam usurpatur de iis, qui violenta morte pereunt: sic Fabula XXVII. *O canis, merito jaces, rupto corpore; i. e. disrupta est.*

3 *Currentes.*) Hinc natum Proverbium. *Tanquam canis e Nilo.*

In Nilo.) Fluvio Africæ maximo & notissimo, qui & *Melas*, *Melo*, teste Festo & Servio in IV. Georg. & IV. *Æn.* a nigredine dicitur: in Sacris Litteris appellatur *Schichor*: *Bibere aquas Schichor* apud Ierem. II., 18. id est auxilium petere ex alia regione, ex *Walchio*.

4 *Crocodilis.*) *Crocodilus* Ægypti est animal quadrupes, quod nusquam, nisi in Nilo, & Iodo flumine, & quædam ex ovo magnitudine ovi anserini nascitur.

5 *Canis.*) Scilicet, *Quidam*.

6 *Crocodilus.*) Scilicet, ait, inquit, quod infra sequitur.

Pota, atque accede Nilo témerè, de dolo
Noli verèri. At ille: Facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.

FABVLA XXV.

2

Vulpes & Ciconia.

NULLI nocendum: si quis verò læserit,
Mulcandum simili jure, fabella admonet.

Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitasse: & illi in patenâ liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo

5

Quam libet lambe.) I. e. Quantum aquæ tibi libet bibe quietè. Alii sic legunt, quam libet aquam citò lambe.

Otiò.) I. e. Sine metu. Terentius dixit, *Otiùm ad potandum habere*: alii legunt *ocius*.

7 Temerè.) I. e. Confidenter, audacter, sine periculi metu: ut enim hoc loco Crocodilus, sic planè Lib. II. Fab. II. Leo viatorem invitat æquè timidum.

... *Non est quod timeas, ait. Et quæ debetur pars tuæ modestiæ,*

Audacter tolle.

ubi Leo dicit *Audacter*, quod Crocodilus *Temerè*: sic apud optimos Scriptores *Temeritas* pro *Audacia* submitur.

8 Mehercule.) Formula jurantis elliptica, ut ferè sit in ta-

libus: tota est. *Ha me Hercule juva.*

1 Nulli nocendum.) Idem Cicero de Officiis Lib. III. cap. XIX. *At vero si quis voluerit; &c.* Ordo est. *Fabella admonet non esse nocendum alicui, si quis verò; &c.*

2 Mulcandum, &c.) Scilicet, enim esse. *Mulcandus* autem pro puniendus quovis modo.

3 Vulpes.) Licet scribamur passim *Vulpis*, cum optimis Libris: tamen revocandum hoc loco *Vulpes*, exitium sit versui.

4 Liquidam... sorbitionem.) Abundat eleganter, quia licet omnis liquida sit sorbitio, hæc tamen fuit maximè, eoque sine vulpes ipsam adposuit.

5 Posuisse) I. e. Adpositisse: propriè de ferculis.

Gustare esúriens potuerit Ciconia.

Quæ vulpem quum revocâsset, intrito cibo-
Plenam lagonam posuit; huc rostrum inserens

Satiatur ipsa: torquet convivam fame:

Quæ quum lagonæ frustra collum lamberet:

10

Peregrinam sic locutam volucrem accepimus.

Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

Sorbitionem.) I. e. Ins ali-
quod præparatum ad sorbendum;
seu ad vescendum res liquidas,
quæ sorberi tantum, nec mandi
possent.

6 *Gustare, &c.*) Quum ob
rostrum, ejusque longitudinem
hujusmodi sorbitionem ita po-
sitam attrahere, & comedere non
posset.

7 *Quæ.*) Scilicet, Cico-
nia.

Revocâsset.) Scilicet, ad cœ-
nam seu convivium. I. e. Vi-
cissim ad cœnam invitâsset, ite-
rum vocâsset.

Intrito cibo.)  *Comminu-
to.* Panis intritus & friatus in
aquam, in vinum, seu in alium
liquorem: sic Varro *R. R. II.*
c. IX. Panis in lacte intritus.
Sopas de leite: *intritus* ab *in-
tero, trivi, tritum, ere*: huc
refer illud Terentii Phorm. II.

I. 4. *Tute hoc intristi, tibi
omne est exedendum.*

8 *Lagonam.*) Vas oris angusti.

9 *Ipsa.*) Scilicet, Ciconia:

Torquet.) I. e. Ægrè illi fa-
cit; seu, Facit ut Vulpes ad
convivium invitata, fame tor-
queatur, quum non possit suum
caput in lagonam oris angusti,
quemadmodum ipsa ciconia, in-
serere.

Convivam.) Scilicet, vulpem.

10 *Quæ.*) Scilicet, vulpis.

Collum.) Petronius Satyrico
Amphorarum cervices dixit.

11 *Peregrinam.*) I. e. Cico-
niam, quæ quotannis peregrè,
abire, ac reverti solet. Publius
Syrus apud Petronium.

*Ciconia etiam grata peregrina
hospita.*

12 *Sua quisque.*) Activè:
exempla, quæ quis statuit in
alios, quæ aliis fecit.

* FABVLA XXVI.

3

Canis & Thesaurus & Vulturius.

HÆC res avaris esse conveniens potest,
Et qui humiles non dici locupletes student.

Humana effodiens ossa, thesaurum Canis
Invenit: & violârat, quia Manes Deos,
Injecta est illi divitarum cupiditas,
Pœnas ut sanctæ Religioni penderet.

5

* Cum hac Fabula confer, quod Horatius narrat de Opimio ægro- tante. Sermon. L. II. Sat. III.

1 *Hæc.* (.) Hæc Fabula: nam aliàs vocat *Fabulam*, *Fabellam*, *Narrationem*, *Argumentum*, & *Jocum*: supra dixit. *Huc re probatur.*

Esse conveniens.) Convenire potest.

2 *Qui.*) Subaudiatur per *Elipsin*, *illis*, qui nati humili loco, & in tenui re, dici locupletes student.

Humiles.) Opponuntur hic locupletibus, nati in humili & tenui fortuna, pauperes.

Student.) Terentius Hecyr. II. I. *Vt omnes mulieres æque eadem studeant*: ubi Donatus: *majoris opéra est studere, quam velle.*

3 *Effodiens ossa.*) Cibi scilicet gratiâ; ut comedere posset; ossibus enim delectantur.

4 *Manes Deos.*) Per Deos Manes intelliguntur ossa & cineres: hinc monumentis inscribi solitum D. M. vel D. M. S. *Diis manibus Sacrum*. Manes propriè loquendo & ex Mythologia sunt Dii inferi, qui mortuorum animis præerant, superioribus Diis contrarii, teste Cicerone Topic. cap. XXIII. hos ut violare, sic reconciliare ac propriè sibi per preces efficere poterant, ut est illud Turni apud Virgilium *Æn. XII. Vos, o mihi, Manes, esto boni*. Manes Poëtis quoque dicuntur animæ, quæ e vinculis quasi corporis evolârunt; quum in corpore autem adhuc sunt, appellantur *Genii*: ex Walchio.

5 *Injecta est.*) Valdè eleganter. Velut a Diis, & in respectu ad ultionem.

6 *Sanctæ Religioni.*) Violatæ Religioni, seu ob violatam Religionem sepulcrorum: antiquitus

Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
 Fame est consumptus: quem stans Vulturius super
 Fertur locutus: O Canis, meritò jaces,
 Qui concupisti subitò regales opes,
 Trivio conceptus, & educatus stercore.

10

FABVLA XXVII.

Vulpes & Aquila. 3

QUAMVIS sublimes debent humiles metùere.

enim grande erat piaculum violare religionem sepulcrorum; & ævire in mortuos: ita Cicero de Leg. *Deorum Manium jura sancta sunt.* & Virgilius *Æn.* III.

Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepullo,

Parce pias scelerare manus.

ceterum *Religio* dicitur de omnibus iis, quæ religiosè debent observari & custodiri sic etiam de jurejurando, de iudice, de sacris, & ceremoniis, de portentis, prodigiis, & testamentis.

8 *Quem*) I. e. Super quem canem vulturius stans laniaturus ejus cadaver.

Vulturius.) Antiquè pro *Vultur*, Plautus in *Trucul.* *Iam quasi vulturii triduo prius prædivinabant.*

Meritò jaces.) De contemptu dicitur, ut supra Fab. XXIV.

hujus Libri Fabula est. *Meritò plectimur.*

10 *Qui concupisti.*) I. e. Tu, qui conceptus publicis viis & educatus sordibus.

Regales opes.) Majores quam privatas & tibi competentes, maximas, quæ Regem solum, nec te deceant: sic Iustitius II. XV. *Castra referta regalis opulentia,*

11 *Trivio.*) I. e. In trivio: sic infra Fab. sequenti p. suit *nido*, pro *in nido*. *Trivium* hic significat viam in genere: aliàs est, ubi tres viæ concurrunt.

Educatus.) I. e. Nutritus sordibus: in triviis enim omnes sordes & purgamenta abjiciebantur: vide Librum IV. Fab. XVII.

1 *Quamvis.*) I. e. Licet sint sublimes, gradu aliqui, tamen debent humiles metuere.

Vindicta docili quia patet solertiæ.

Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.
Hanc persecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miseræ luctum importaret sibi!
Contempsit illa; tuta quippe ipso loco.

5

Humiles.) Translaté. I. e. Abjecti, viles, ignobiles: sic Cicero VII. in Verrem: *humili & obscuro loco natus*. Proprié significat id, quod proximum est humo; nec multum in altitudinem exurgit: sic apud Horatium: *humiles domos*. Virgilius Ecl. II. 29. *humiles casas*. Cicero Tusc. V. 13. *Vites, & ea, quæ sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt*. Plinius VIII. Epist. XX. n. 5. *Humili radice descendunt*.

2 *Vindicta.*) Quia solertes, quantumvis humiles, suo tempore sciunt vindictam sumere.

Solertiæ.) Facile sumi potest a solertibus, & industriis.

Patet.) Ita Cicero pro Balbo, *præmia patere usurpavit*. *Injuriosum est, his præmiis exclusos esse fidelissimos socios, quæ pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant sæpe servis*.

3 *Vulpinos catulos.*) I. e. Vulpium filios. *Catulus* est vox generalis, & non solum significat fœtus canis, sed aliorum quoque animalium, ut luporum, vulpium, leonum.

Sustulit.) I. e. Rapuit, secum tollens vexit in sublime:

proprié de raptu avium: sic Virgilius Æn. XI. 563. *Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cygnum sustulit, alta petens pedibus Iovis armiger uncis*.

4 *Nidoque.*) I. e. Pullis suis adposuit.

Escam.) Vt illis catuli vescerentur.

Carperent.) Pro, Disceperent: de cibis dicitur: sic Ovidius III. Art. Am. 755. *Carperet cibos digitis, est quiddam gestus edendi*.

5 *Hanc.*) Scilicet, Aquilam.

Persecuta.) I. e. Insecuta: hoc verbum notat solitudinem & festinationem: sic Terentius Phorm. III. III. *Quoquo hinc asportabitur terrarum; certum est persequi*.

Mater.) I. e. Vulpes.

6 *Importaret.*) I. e. Afferret: ita Cicero dixit *ægritudines importare*. Livius Lib. XXIV. *Discordia civilis quas importet clades*. idem Lib. XXIX. *Ne quid conjurationes fraudis occultæ aut periculi importarent*: ita Cæsar, & alii passim.

7 *Contempsit illa.*) I. e. Aquila contempsit illa, quæ vulpes supplex dixerat.

Ipsa loco.) I. e. Ob sublimem ad, ubi insidebat, arborem.

Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila, ut periculo mortis eriperet suos,
Incólumes natos supplex Vulpi tradidit.

10

—♦—

FABVLA XXVIII.

Ranae metuentes Taurorum prælia.

HUMILES laborant, ubi potentes dissident.
Rana, in palude pugnam Taurorum intuens,

& *Vulpes*.) Hic iterum retinendum *Vulpes*, non *Vulpis*, versus causa, ut Fabul. XVI.

Ardentem facem.) Non otiosum est *ardentem*, ut Scioppio visum est: sic enim Virgilius locutus fuerat.

Ardentem dare visa facem. Cicero de Harus. Resp. c. XVIII. *Quum lapidibus optimos viros fore pellis, quum ardentem facem in vicinorum tecta jactas: neque aliter veteres: conferatur* Homerus in fine L. III. *Odyss.* *Fax enim propriè est frustum e disjecta arbore picei generis, quod alendo igni inserviebat, tam in aris Deorum, quam in privatorum focis.*

10 *Hosti*.) Scilicet, Aquilæ.

Dolorem . . . miscens.) Per Translationem. I. e. Affersis dolorem eum periculo combustionis, & mortis: nam & do-

lore hostem affecit, & damno. *Sanguinis*.) I. e. Sui proliis, suorum pullorum, & catulorum vulpis. Metonymice; ita Anchises apud Virgilium *Æn.* VI. vocat *Æneam sanguinem suum*.

Projice tela manu sanguis meus.

uti & Horatius in Carmine Sæculari.

Clarus Anchisæ Venerisque sanguis.

Vellejus I. X. 5. *Quæ vox, veluti oracula emissa, magna parte eum spoliavit sanguinis sui. i. e. filiorum.*

11 *Suas*.) Pullos scilicet aquilæ.

12 *Natos*.) I. e. Catulos, quos Vulpi abstulerat, supplicans ne igne combureret suos pullos.

1 *Humiles*.) Scilicet, Cives: sic Fab. XV. *pauperes*.

Heu, quanta nobis instat perniciēs! ait.
 Interrogata ab aliā, cur hoc diceret,
 De principatu quum decertarent gregis,
 Longēque ab illis degerent vitam boves:
 Est statio separata, ac diversum genus:
 Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
 Paludis in secrēta véniet latībula,
 Et proculcātas obteret duro pede:
 Caput ita ad nostrum furor illórum pertinet.

5

10

Laborant.) I. e. Adfliguntur, sunt in periculo.

Vbi.) I. e. Quando, qui aliis præstant, inter se pugnant, pauperes, ac debiles sunt in periculo.

Potentes.) I. e. Proceres, qui imperia habent in reliquos.

5 *De principatu.*) I. e. Quis prior esset, ac veluti Princeps, & ductor totius armenti: sic Virgilius Georg. III. 228. *Et stabula adspectans regnis excessit arvis: ubi regnis avibus pro pascuis: sic idem Poëta Æn. XII. v. 719. Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.*

6 *Ab illis.*) Scilicet, Ranis.

7 *Est.*) Scilicet, Respondabat altera rana.

Statio separata.) I. e. Est quidem locus, in quo invicem pugnant, distans, separatus a nobis, & est diversum a nostro genus faurorum; scilicet unicuique animalium speciei sua sedes est & statio; idcirco idem Phædrus supra Fab. VI. vocat lacum sedem ranarum: sic Virgilius Æn. V. *Statio gratissima mergis.*

Hinc quoque explicanda illa sapientis Graculi ad superbientem fratrem suum responsio, quæ est Fab. III.

Contentus nostris si fuisses sedibus.

Alii legunt: *Natio separata: alii: ratio, ait, separata, scilicet vivendi, id est, Lex vivendi, ex Walchio.*

8 *Pulsus.*) Est hic pro *Exulsus.*

Regno nemoris.) I. e. A nemore, in quo, ut in suo regno, liberè degunt Tauri; nam nemus propriè silva pecori ætando.

10 *Proculcatus.*) Scilicet nos ranas proculcando obteret, & occidet: sic Ovidius XII. Met. 373. *Pedibusque virum proculcat equinis.*

11 *Caput.*) I. e. Ad nos, & salutem nostram; nam ab eorum pugna & certamine nostra salus pendet.

Ita.) I. e. Hoc modo, hac ratione: respicit priorem interrogationem; quare scilicet, ac quomodo ipsis tantum malum possit imminere.

Pertinet.) Eleganter. I. e. eo usque velut se porrigit: sic

FABVLA XXIX.

Milvius & Columbæ.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit exitium invenit.

Columbæ sæpè quum fugissent Milvium,
Et celeritate pennæ vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decépit dolo:
Quare sollicitum potiùs ævum dūctis,
Quàm regem ine creatis, icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem injuriâ?

supra Fab. XIV. *Hoc pertinere verè ad illos dixerim:* & Fab. XLII. *Hoc pertinere ad domini caput:* nam *Pertinere* significat quod vulgò dicunt *pertingere*.

1 *Qui se. &c.*) I. e. Qui se hominis improbi tutelæ committit.

3 *Milvium.*) Alii legunt *Milvium* per Diæresin.

4 *Pennæ.*) I. e. Pennarum: singularis pro plurali, per Enalagem numeri: & per Synecdochē Alas intelligit. Seneca *Cædipo: Levis penna secat alta cæli.*

5 *Consilium.*) I. e. Viam ingenii. Facultatem consultricem inhuic: sic Cicero in *Catil. III. Erat ei consilium ad facinus optum, consilio, autem neque lingua, neque manus decrat.*

Raptor.) I. e. Milvius.

Vertit.) I. e. Eo convertit, intendit, dirigit: sic Tacitus IV. *Hist. XXIII. Donec desperata vi verterent consilium ad moras.*

6 *Genus inerme.*) I. e. Columbas inermes, & simplices.

7 *Ævum ducilis.*) I. e. Vitam degitis: quare potiùs in perpetua anxietate, sollicitudine, & cura vivitis? *Ævum*, i. e. spatium vivendi.

8 *Quam &c.*) I. e. Et non potiùs.

Icto fœdere.) I. e. Inito fœdere. *Icere* verò dicitur, ut *Ferire fœdus*, quia olim in confirmandis fœderibus victimæ cædebantur, ut porca, de quò Virgilius.

Cæsa jungebant fœdera porca.

Illæ credentes, tradunt sese Milv'io:
 Qui regnum adeptus, cœpit vesci singulas,
 Et exercere imperium sævis unguibus.
 De reliquis tunc una: Meritò plectimur.

10

* EXPLICIT LIB. I.

11 *Singulas.*) I. e. Vnam post alteram: vulgò *vesci singulas* res: sed & accusativus invenitur apud Tacitum, Virgilium, Terentium, aliosque præstantissimos scriptores.

12 *De reliquis . . . una.*) I. e. Vna Columba ex reliquis superstes, scilicet *inquit*, quod Verbum per Ellipsin subauditur.

Meritò.) I. e. Iustè: vox est culpam agnoscentis.

Plectimur.) I. e. Punimur, poenas damus: sic in Suet. Vesp. II. *Meritò se plecti*: confer sibi Gronovium ad Senecam V. *De Benef.* c. XXI.

• *Explicit.*) Ita veteres in fine Librorum in primis manu

scriptis um solebant scribere, significando se pervenisse ad finem voluminis, quod planè explicitum esset, & evolutum, seu absolutum. Hieronymus ad Matcellam: *Solemus completis operculis ad distinctionem rei alterius sequentis mediam interponere* Explicit, aut Feliciter, aliquid hujusmodi. Formula autem hæc videtur esse decurtata ab *explicitus*, vel *explicitum*: sic enim Martialis L. XIV. Epigr.

Versibus explicitum est omne duobus opus.

Quinimo veteres elegantioris notæ Codices adscriptum habent: *Explicitus est Liber, &c.*

PHÆDRI AVG. LIB.
FABVLARVM ÆSÓPIARVM

LIBER SECUNDUS.

AUCTOR.

EXEMPLIS continetur Æsopi genus,
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error ut mortaliū,
Acuatque sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narrantis jocus,

5

1 *Continetur.*) Absolutè. Scilicet, in officio, i. e. coercetur, docetur: quod propriè est magistrorum: sic Cicero Tuscul. Q. IV. *regere ac continere appetitones* dixit. Seneca in Hercule Oetæo v. 63. 761. 1684.

Dicit igitur homines contineri, ac doceri exemplis, seu fabulis Æsopi: confer Ciceronem L. VII. Epist. Famil. XIX.: sic quidem eruditissimus Gronovius.

Æsopi exemplis.) Quæ Æsopus in suis Fabulis tradidit.

Genus.) Mortalium, seu humanum; id est, homines; nam ordo talis est. *Genus mortalium continetur.* *Exemplis Æsopi:* exempla vocat, quæ max Fabulas. Aliter explicat & interpretatur hæc versum Walchius,

& sic habetur: *Genus Æsopi*, i. e. ratio scribendi Æsopi continetur; &c. videant Professores sapientissimi, quæ potior sit interpretatio: conferantur in primis Heinsius, Gronovius, Freinshemius, alii.

3 *Quam corrigatur, &c.*) I. e. VI emendetur id, in quo mortales peccant. Superius in Prologo Libri I. sic legitur.

Duplex libelli dos est, quod risum movet;

Et quod prudenti vitam consilio monet.

4 *Acuatque.*) I. e. Exerceatque: sic Virgilivæ I. Georg. *Cursus acvens mortalia corda:* Servius eo loco, *abucus*, i. e. *exercens.*

5 *Quicumque, &c.*) I. e.

Dum capiat aurem, & servet propositum suum,

Re commendatur, non auctoris nomine.

Equidem omni curâ morem servabo senis:

Sed si libuerit aliquid interponere,

Dictorum sensus ut delectet varietas,

Bonas in partes, lector, accipias velim.

Sic ista tibi rependet brevitâs gratiam,

Cujus verbôsa ne sit commendatio.

10

Quicumque jocus narretur: hoc vult enuntiare. Qualiscumque fuerit jocus, qualiscumque fabula, a quocumque confecta, commendatur ea bonitate rei, salubritate præceptorum perlineuntim ad vitam, moresque, non celebritate auctoris: sic Prol. Lib. III.

Calumniamque factis elusit joco.

i. e. Fabulis.

6 *Dum.*) Pro, Dammodo: sic Cicero ad Atticum Libro VIII. Ep. XIII. *Ego si cui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi, non laboro.* i. e. dammodo ne tibi.

Capiat.) I. e. Delectet, teneat, admittatur auribus: eleganter. Cicero in Or. *Nimis insidiarum ad capiendâs aures adhibere videtur.*

Servet propositum suum.) I. e. Faciat id, quod sibi propositum est, mores instruat.

7 *Re.*) I. e. Bonitate rei, ac præceptorum salubritate; ipsa imita auctoritate.

8 *Morem.*) I. e. Consuetudinem: sed Exemplum, & Fabulas Æsopi. Prudenter se purgat, quod fabulis quædam alterius generis admisceat.

Senis.) I. e. Æsopi; qui honoris causa sic nominatur ut infra I. III. Fab. III. *Ngris emuncta senex.*

10 *Dictorum.*) I. e. Facetiarum, jocorum, fabularum Æsopi, & earum quas ego ipse interposuerim, & invenerim: sic Cicero, observante Macrobio II. Satur. I., in Epistola ad Cornelium Nepotem. *Itaque nostri, quum omnia, quæ dixissemus, dicta essent, quæ faceret, quæ breviter, & acute locuti essemus, ea proprio nomine adprobati dicta voluerunt.*

Vt delectet.) Vt similitudo fastidium gignit, sic varietas delectationem adfert in quovis rerum genere: sic Iustinus. *Varietate & novitate operis delectatus.*

Accipias.) Ita inf. XLVII. *Accipens cuncta in contumeliam.* Terentius Eun. I. II. *Neve aliorum; atque ego feci, acceperit.*

12 *Sic, &c.*) I. e. Pro bono, quo acceperis nimis: sensus autem versus sic se habet: *Brevitas fabularum tuis gratas tibi efficiet.*

13 *Cujus.*) Scilicet, Brevitatis; Zeugma: beneus erit. *Quæ brevitâs adeo præstat, ut null-*

FABVLA I.

Iuencus, Leo, & Prædator.

ATTENDE, cur negare cupidis debeas :
Modestis etiam offerre, quod non petierint.
 Super Iuencum stabat dejectum Leo.
 Prædator intervenit, partem postulans:
 Darem, inquit, nisi soleres per te sumere: 5
 Et improbum rejecit. Fortè innoxius
 Viator est deductus in eundem locum.
 Feroque viso, rettulit retró pedem.

tis opus non sit verbis eam commendari.

Verbosa.) Vt vulgo, *Prolixa*. Sed cave dicas: *dissertatio prolixa, sed verbosa, longa*; nam eo sensu veteres nunquam eam vocem usurparunt. *Prolixus*, si occurrit, idem erit ac *liberalis, benevolus*, sic est: *prolixia ac benevola voluntas*: ex Walchio.

1 *Cur negare.*) Scilicet id, quod abs te petant; illis nimium, qui avidè res expetunt.

2 *Modestis.*) I. e. In appetendo, & modico contentis: opponuntur hinc modesti cupidis, petacibusque.

3 *Stabat.*) Instar victoris, ipsum lanialurus.

Dejectum.) I. e. Interfectum, vicium, prostratum. sic Nepos in Thrasib. c. III. *In secundo prælio cecidit Critias; hos deje-*

cto, Pausanias venit Atticis auxilio.

4 *Prædator.*) I. e. Venator, ut apud Ovidium Met. XII. 306. *Abes prædator aprorum.*

5 *Inquit.*) Scilicet, Leo.

6 *Improbum.*) I. e. Prædatorem insatiabilem, audacem, violentum.

Rejecit.) Ei negavit, quod petierat, cum contentu & aspernatione.

Innoxius.) Activè sumitur: i. e. Nemini nocens, qui nemini nocet; ut opponatur improbo, i. e. violento: sic *innoxium serpentem* dixit Virgilius in Æn. Suetonius in Calig. III. *Obtrectatoribus lenis, & innoxius.*

7 *Est deductus.*) I. e. Incidit forte fortuna in eundem locum.

8 *Feroque viso.*) Scilicet, Leone.

Cui placidus ille: Non est, quòd timeas, ait,
 Et, quæ debétur pars tuæ modestiæ,
 Audacter tolle. Tunc, diviso tergore,
 Silvas petivit; homini ut accessum daret.

10

Exemplum egrégium prorsus, & laudabile.
Verum est aviditas dives, & pauper pudor.

Rettulit retro.) Pleonasmus.
 i. e. Recessit: geminatio hæc
 (nam *retulit* sufficiebat) bonis
 auctoribus est familiaris. Imita-
 tus est Virgilium *Æn.* IX.

*Haud aliter retro dubius vesti-
 gia Turnus*

Improperata refert.

Idem *Æn.* II.

*Ex illo fluce & retro subla-
 psa referri.*

9 *Cui.)* Scilicet, Viatori.

Ille.) Scilicet, Leo.

Non est, quod timeas.) I. e.
 Non est quicquam in causa,
 propter quod timeas; seu, nil
 est unde timeas. Constructio El-
 líptica, seu Hellenica optimis
 scriptoribus familiaris, de qua
 vide Vossium de Constr. XIX:
 sic Terentius *Heaut.* I. II. *Ni-
 hil est, quod perire.* IV. VII.
*Nihil est, illic quod moremur
 diutius; & Phorm.* V. I. *nihil
 est, quod vereor: & ita Cice-
 ro, & alii.*

10 *Et quæ, &c.)* Sensus est:
 Non est quicquam quod timeas:
 potius hic ex præda pars est ali-
 qua, quæ debetur modestiæ tuæ:
 eam tolle.

Tuæ modestiæ.) I. e. Tibi
 ob tuam modestiam.

11 *Audacter.)* I. e. Absque
 timore, aut perturbatione; con-
 fidenter, liberè: sic Plautus in
Mil. III. II. *Age, loquere au-
 dacter mihi.*

Diviso tergore.) I. e. Divi-
 so corpore juveni dejecti.

12 *Petivit.)* Scilicet, Leo.

Homini.) I. e. Viatori.

Accessum daret.) I. e. Ad
 dejectum juvenem; ut datam
 sibi partem sumeret.

14 *Verum.)* Hoc vult: Li-
 cet sit laudabile & egregium
 prorsus præbens exemplum, pau-
 ci tamen id sequuntur, nempe
 quia paupertas cum pudore ju-
 cta est: at qui avidi sunt, di-
 vitias, & cum iis cætera conse-
 quuntur.

Aviditas.) I. e. Illi, qui a-
 vidi & improbi sunt, plerum-
 que divites quoque sunt, & re-
 bus abundant; & modesti, pu-
 dentesque in paupertate degunt.
Abstractum ponitur pro *concre-
 to.*

FABVLA II.

Anus diligens virum ætatis mediæ, item Puella.

A *Fæminis utcumque spoliâri viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.*

*Ætatis mediæ quendam mulier non rûdis
Tenébat, annos celans elegantia:*

1 *Afæminis.)* Ordo talis est:
Discimus exemplis, viros spoliari a fæminis, utcumque ipsi ament eas, vel ipsæ fæminæ amentur ab illis.

Vtcumque.) I. e. Quovis modo, prout potest fieri: sic Terentius Andr. IV. III. 20.

... Tu ut subservias

Orationi, utcumque opus sit, verbis, vide.

Spoliari.) Propriè: sic velula Terentiana hortatur & monet meretriculam, Heeyr. I. I. 7.

... Ne cujuaquam misereat,

*Quin spoliat, multilet, lace-
ret quamque nata sit.*

sic etiam Cæcero I. de Offic. Danda igitur opera est, ut, etiamsi aberrare ad alia ceperit, ad hæc revocetur oratio; sed, utcumque adierunt res.

Ament, amentur.) Omissa est disjunctiva sive.

2 *Nempe.)* Vim habet affirmationis majoris; & non solum in principio significat certè, ut XII. Philipp. II., sed medio quoque, ut Lib. IX. Epist. XVIII. ad Atticum.

3 *Ætatis mediæ.)* I. e. Inter juvenilem & senilem. Ordo est. Mulier non rudis celans annos elegantia, tenebat in animo, diligebat quendam ætatis mediæ.

4 *Tenébat.)* I. e. Possidèbat, in sua potestate habèbat, ut apud Virgilium Æn. I. 625.

... Genitor tum Helus
opimam

*Vastabat Cyprum, & victor
ditione tenebat.*

C. Nepos Miltiade, cap. I. Nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. Eleganter verò & propriè illud verbum usurpatur. Sensus est: Mulier non rudis (sive, ut Naso L. II. Amorum, El. II.

*Incurdo non rustica cognita
furto.*

tenebat quendam, scilicet amore obstrictum sibi, velut vinculis: sic Virgilius Ecl. I.

*Quum me Galatea tenebat,
Exempla plura ubivis sunt in
promptu.*

Annos celans.) I. e. Fæciei elegantia ætatem suam senilem occultans.

Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat.
 Ambæ videri dum volunt illi pares,
 Capillos homini légere cœpere invicem.
 Quum se putâret fingi curâ mulierum.
 Calvus repentè factus est : Nam funditus
 Canos puella , nigros anus evellerat.

5

10

Elegantia.) I. e. Cultu & ornatu, arte: ita *elegantes & mundos* conjugit Cicero II. De Finib. VIII. & Nepos in Attico XIII. *Elegans, non magnificus, splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiem non affluentem adfectabat.*

5 *Animosque ejusdem &c.*) I. e. Et ipse diligebat puellam. *Animus* sæpe in plurali ponitur. Cie. I. Epist. I. ad Famil. *Cedere animis.* Virgilius *Æn.* IX. 187.

Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.

Pulchra juvenis.) I. e. Alia mulier pulchra & juvenis, juvenula ceperat animos ejusdem viri, diligebat ab ipso.

Ceperat.) Scilicet, amore.

6 *Pares.*) I. e. Similes illi in capillis: refertur ad extremam speciem, vel ætatem: Virgilius IV. Georg. *Paribus ista corpora guttis.* i. e. *maculis notata, & distincta.*

7 *Capillos.*) Quos, quum mediæ esset ætatis, partim nigros, canos partim habebat.

Homini.) Habet elegantem

sensum, & quasi cum commiseratione infortunii dicitur: sic Terentius Eun. II. II. *Ibi homo capit me obsecrare.*

Légere.) Propriè & eleganter. I. e. Evellere, seligere cœperunt, una canos, altera nigros evellendos: nam *flores legi* Virgilio dicuntur: sic Ovidius II. Art. v. 666 *Albentes jam legit illa comas.*

8 *Fingi.*) I. e. Ornari, & exornari, & aptari in capillis: alii legunt *Pingi*, & exponunt quoque *ornari*: certè infra est, *pictè scribere*, i. e. ornatè: sic Plautus Stich II. III. 28. *Pingere humum floribus.*

Curâ.) Eleganter dicitur de capillis, quum aliquis in his ornandis diligens est: uti contra de negligente *Iacuria.*

9 *Funditus.*) I. e. Ab eorum radicibus.

10 *Canos.*) Scilicet, crinea; ut sicuti ipsa, omnes ille etiam nigros haberet capillos.

Nigros.) Quibus sibi quæ cana erat, nimium dissimilis reddebatur.

FABVLA III.

Homo & Canis.

LACERATUS quidam morsu vehementis Canis,
Tinctum crude panem misit malefico,
Audierat esse quod remedium vûneris.
Tunc sic Æsopus. Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Quum scierint esse tale culpæ præmium.

5

Successus improbórum plures adlicit.

1 Laceratus.) Confer. Æso-
pi Fab. XXV.

Vehementis canis.) I. e. Fu-
rentis, venefici, ira concitati:
Ita Gicero II. De Orat. XLIII.
*Potest inflammarî animus judi-
cis acri & vekementi quadam in-
citatione.* Aliqui Interpretes, &
in his Danelus & Rittersbusius,
hic advocant Synizesin, i. e.
duarum syllabarum contractio-
nem in unam, quum nihil sit
necesse; nam hic versus quarta
sede recipit dactylum, qualis
primus hujus Libelli:

*Æsopus auclor quam materiam
repperit.*

sed aliqui materiam faciunt trium
syllabarum, quod ridiculum: de
eo judicent qui callent artem me-
tricam.

2 Misit.) I. e. Projecit ipsi:
ita supra L. I. II. 3.

*Nocturnus quum fur panem
misisset cani.*

Et Lib. III. II. 5.

*Peritura quippe, quamvis ne-
mo læderet,*

*Misere panem, ut sustineret
spiritum:*

alii legunt *immisit.*

Malefico.) I. e. Cani, qui
morsu malum intulerat, qui
morsus læserat.

4 Æsopus.) Scilicet, ait.

6 Tale.) I. e. Tam bonum
magnumque præmium culpæ esse.

Culpæ.) I. e. Morsus.

7 Successus, &c.) Sensus est:
Quum improbi vident, quod ma-
leficia sequantur præmia, plu-
res alii ad mala alteri adferenda
invitantur. Adpositè Livius Lib.
XXII. 12. *Quæ pessima ar-
nimis prosperis multorum suc-
cessibus crevit.*

FABVLA IV.

Aquila, Feles, & Aper.

AQUILA in sublimi quercu nidum fécerat :
 Feles cavernam nacta in média pepéerat :
 S nemoricultrix foetum ad imam posuerat.
 Tuin fortuitum Feles contubernium

1 *In sublimi.*) I. e. In sublimitate quercu, in summo ejus. Quo modo Poëta vetus apud Ciceronem, Tus. II. Ex *sublime vertice saxi*: sic & mox sequitur, *In media quercu*, quod similiter est in medietate ejus: mox etiam, *ad imam*, i. e. ima arboris parte: sic loquuntur Auctores. Terentius Prolog. Adelphi. V. IX. *Prima fabula*: i. e. in principio, in prima parte Fabulæ, ut nostra in editione Terentii adnotavi: & Heaut. V. I. 29. *ultimis ædibus*. Plautus Curc. IV. I. 14. *In foro infimo*: & Cistel V. in fine: *Postrema comædia*: i. e. in infima parte fori; in postrema parte comædiæ.

2 *Cavernam.*) I. e. Foramen, cavum, rimam arboris.

In media.) Scilicet quercu, i. e. in medietate quercus.

3 *Nemoricultrix.*) I. e. Cultrix nemoris; seu quæ habitat nemus, sic est *genus altivolantum* apud Ennium. *Pietaticultrix*, *Gracilipes* apud P. Syrum. *Silvicultrix* apud Catullum: ve-

teres enim in hujusmodi nominum compositione sibi mirè placebant, imitati Græcorum libertatem: sic invenias, *Pennipotentum*, *Caprigenum*, *Noctivaga*, *Vesticontubernium*, *Pudoricolorem*, & alia ejus generis. Virgilius tamen sic Æn. XI. 557.

*Alma, tibi hanc, nemorum
 cultrix Latonia Virgo,
 Ipse pater, famulam voveo.*

Ad imam.) I. e. In ima parte quercus; seu ad ejus radices.

3 4 *Fortuitum . . . contubernium.*) I. e. Contubernium, quod fortè, & opportunè ibi invenerat: statuunt quidam tertiam hujus vocis syllabam esse ancipitem, alij etiam brevem, sed falluntur. Horatius Lib. II. Od. XV.

Nec fortuitum cernere cespitem

Leges sinebant.

Sed in his & aliis istius modi locis attendendum est ad *Crasin*, qua hæc vox fit trium syllabarum: idem observandum est in *gratuitus*: vide *Torrentium* & *Cruquium* ad memoratum Ho-

Fraude, & scelestâ sic evertit malitiâ.
 Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
 Tibi paratur, forsân & miseræ mihi:
 Nam fodere terram quodd vides quotidie
 Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
 Vt nostram in plano facilè progeniem opprimat. 10

ratii locum, & Gerardum Ioannem Vossium in de Arte Gramm. L. II. c. XXXVII.

5 *Evertit.*) Eo sensû, sicut Cicero, *evertere amicitiam* usurpat: plus est, quàm dissolvit.

6 *Scandit.*) Scilicet, Felis. *Volucris.*) I. e. Aquilæ.

7 *Miseræ mihi.*) I. e. Mihi infaustæ, infelici: eleganter hoc addit per fictionem metus, & ad commovendam miserationem in aquila.

8 *Fodere.*) I. e. Rostro erne-re: dicitur hoc de animalibus terram rostro, aut pedibus effodientibus: sic Lib. I. Fab. XXVII. *Humana effodiens ossa.*

Quotidie.) Secundam in hac voce ait Danetus brevem esse, at aliquando produci: hoc loco longam esse patet ex dimensione: uti & in fine Lib. IV.

Nam vita morti propior est quotidie.

Et Lib. III. Fab. VIII. 14.

Quotidie, inquit, speculo vos uti volo.

Cæteroquin est anceps, ut patet in *Quotidianus*: confer sis Ca-

tullum, qui dixit *Cottidianus*, Carm. LXIX. ad Mantium v. 130. & Martialem Lib. X. Epigr. LXV. & Lib. XI. Epigr. I.

9 *Aprum insidiosum.*) Hoc nomen ex iis est, quæ maribus & scæntis sine discrimine sexus convententia, Epicæna vocantur, & unum tantum habent genus, quod cognoscitur ex regula de terminatione: ut *hic passer, hæc vulpis*: talia sunt *liberi, catulus*, & alia multa: itaque de filiabus dicimus, *Liberos nostros*, non *nostras*: ac scæmellam catulum, *egregium catulam*, non *egregiam*, & sic in aliis.

Quercum.) Elliptica oratio ex consuetudine metuentium: integra sic se haberet: Per id, quod vides fodere, vult evertere; hoc est propositum hujus negotii, quod vides eum suscepisse; per eam fossionem vult quercum evertere.

10 *Nostram . . . progeniem.*) I. e. Tuos pullos, meosque catulos in terram cum arbore delapsos.

In plano.) I. e. In solo; huius dejectam prolem.

Terróre offuso, & perturbatis sensibus,
 Derépit ad cubile setosæ suis;
 Magno, inquit, in periculo sunt nati tui:
 Nam simul exieris pastum cum ténero grege,
 Aquila est parata rapere porcellos tibi.
 Hunc quoque timóre postquam complévit locum,
 Dolosa tuto condidit sese cavo.

16

Progeniem.) I. e. Foetum, catulos, pullos.

11 *Terróre offuso*) Verba hæc non selem respiciunt, sed aquilam, ut si sensus: Postquam ita Feles Aquilæ effudit set terrórem, ejusque perturbasset sensus, derepit; &c. *Offundere terrórem* elegantissimè dicuntur, qui ex improvise terrórem ingentem adferunt: sic Livius Lib. XXVIII. *Offusus terror oculis, auribusque.*

12 *Derepit.*) I. e. Inde repit ab Aquila dorsum: sic *degradi pro descendere* dicitur.

Cubile.) I. e. Lustram: sic L. I. XIX.

... *Flagitare paladium*

Cubile capit.

Et Lib. III. Fab. II. 11.

Et in cubile concito properat gradu.

sic Cicero de N. D. II. 49. *Bestiæ in cubilibus delitescunt.* Lucretius: L. V. 985. *Instrata subilia fronde.*

Suis.) Est secundus casus a suis: i. e. Ipsius apri.

13 *Nati.*) I. e. Catuli: sic

Virgilius de iisdem dixit Æn. III. 392.

Albi circum ubera nati.

14 *Simul.*) I. e. Statim ac; simul atque; statim postquam exieris ad pascendum cum grege tuorum natorum: sic Livius. *Qui, simul in potestate vestra erant, extemplo omnia tradent.*

Pastum.) Supinum a Pasco, i. e. ad pascendum; ut cibum conquiras: sic Plautus in Mœstel: IX. 1. *Ire vis mula foras pastum.*

Cum tenero grege.) I. e. Cum teneris tuis catulis, porcellis, ut mox.

16 *Locum.*) Cubile suis intelligit: ita Cicero in Orat. *Plangore & lamentatione complere forum dixit.*

17 *Dolosa.*) Scilicet, Felis.

Condidit sese.) I. e. Abscondidit sese: ita Fab. VI. hujus Libri versu 8. *condita*; & Fab. VIII. v. 4. *Se cubili condidit.*

Cavo.) I. e. In sua caverna tuta: nam supra dixit, *Cavernam*: sic Plautus Men. I. 2. *Concede audacter ab Leonino cavo.*

Inde evagata noctu, suspenso pede,
 Vbi escâ se replêvit, & prolem suam,
 Pavorem simulans prospicit toto die.
 Ruinam metuens Aquila ramis desidēt:
 Aper rapinam vitans non prodit foras.
 Quid multa? inediâ sunt consumpti cum suis;
 Felisque catulis largam præbuērunt dapem.

20

*Quantum homo bilinguis sæpè concinnēt mali,
 Documentum habere stulta credulitas potest.*

18 *Suspenso pede.*) I. e. Leni, tacito, ut ambulans non posset exaudiri: sic Terentius Phorm. V. VI. *Suspenso gradu placidè ire:* & eodem sensu Lucretius, Virgilius.

20 *Prospicit.*) Veluti exenbians vigilanter agens; circumspēctat, ac si & ipsa non aude-ret egredi, atque observaret motiones scrophæ.

21 *Desidēt.*) I. e. Iugiter consistit, non audens inde descendere: eleganter quidem. Metum notat hæc vox: sic Terentius Hecyr. I. III. *Frustra ubi totum desedi diem.*

22 *Rapinam vitans.*) I. e. Ne rapiantur sibi porcelli.

23 *Quid multa?*) Formula usurpari solita, quum rem in pauca conferimus: sic & illa: *Quid verbis opus est? Quid multis opus est? Quid tibi multa dicam?* &c. confer sis. *Collectionem Particularum Latinæ Orationis a me editam Olisipone an. clō. Id. cc LXXVI.* ubi plura hujus Atticæ locutionis exempla suppeditavi.

Sunt consumpti cum suis.)

Aquila & Aper cum filiis.

24 *Dapem.*) Suis carnibus, quas illi comedernot.

25 *Quantum.*) Ordo talis est: Stulta credulitas, i. e. stulti creduli ex hac fabula discere possunt, quam homo bilinguis sæpè efficiat mali.

Homo bilinguis.) Non est duabus linguis utens, ut Celonæ, Bætorum progenies apud Diodorum XVII. & Branchidæ, qui barbarè & Græcè loqui soliti fuerunt; nec est, qui duas linguas habet: sed ille, qui est fallax, duplex, fraudulentus, & qui dubia fide & lubrico animo loquitur: sic Virgilius I. *Æn. Tyriosque bilingues:* ubi Servius; *bilingues, fallaces, nec enim ad linguam retulit, sed ad mentem.* Plautus Pœn. V. II. *Bisulei lingua.*

26 *Stulta Credulitas.*) I. e. Homines stultè creduli, qui stultè nimium sunt creduli. Locutio nostra familiaris.

FABVLA V.

Cæsar ad Atriensem.

EST *Ardeliónum quædam Romæ natio, Trépide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens, Sibi molesta, & aliis odiosissima.*

Hanc emendâre, si tamen possum, volo Verâ fabellâ: pretium est operæ adtendere.

Cæsar Tiberius quum petens Neapolim,

5

1 *Ardelionum.*) *Ardelio est homo inquietus, novarum rerum studiosus, otio deditus, qui se alienis rebus & omnibus negotiis se immiscet, ab ardendo dictus, quod pro festinando usurparunt veteres: itaque quum ardeliones sint avidi negotiorum, inquietique, semper cursitent, festinentque, tanquam magni aliquid habeant agendum, ardeliones nominantur: alii ab Ardea avi dictos existimant: vide Vossii Etymologicon.*

Natio.) I. e. Genus quoddam hominum, secta: sic ferè Terentius Eun. II. II. 37.

2 *Trepide.*) I. e. Cum dubitatione, & incertitudine causæ, ac propositi: & sic interpretatur Servius ad Virgilium Æn. III. & XIII. ubi ait: *trepidi, nescientes quid agunt.*

Concursans.) I. e. Huc illuc cursilans: notat multitudinem negotiorum. Cicero in Ver. V.

Cæteri prætores obire provinciam, & concursare consueverunt.

3 *Anhelans.*) I. e. Scilicet, ad negotia, i. e. omni impetu ad ista adspirans; negotiosus, occupatus, qui ob discursationes crebras spiritum ægrè ducit.

Nihil agens.) Quod laude dignum, utilitatem quandam adferat.

6 *Veru fabella.*) I. e. Rem verè gestam narrante: vide quæ adnotavi ad præfationem Lib. I. ubi *factæ fabulæ.*

Fabella.) I. e. Historia exemplum, a *fando*: hinc Proverbium *Lupus in fabula: Fallai no ruim, olhai para a porta*; quod Lusitanicè ita sonat.

Adtendere.) I. e. Adtendere ad eam animum.

7 *Petens.*) I. e. Proficiscens ad urbem Neapolim.

Neapolim.) Urbem antiquissimam Campaniæ maritimam:

In Misenensem villam venisset suam,
 Quæ monte summo, posita Luculli manu,
 Prospectat Siculum, & prospicit Tuscum mare; 10

regni Neapolitani caput, ac totius Italiæ celeberrimam, prius Parthenopen dictam: sic Plinius Lib. III. cap. V. Littore Neapolis Chalcidensium, & ipsa Parthenope a tumulo Sirenis adpellata. *Neapolis*, i. e. nova urbs. V. C. Cellarii Notitiam Orb. Ant. Tom. I. p. 642.

8 *In Misenensem villam.*) I. e. In Domum suam rusticam; quæ erat in Miseno Promontorio Campaniæ propè Cumas, ubi à Lucullo nobilissimo Romano exstructa fuerat; sic dictam à Miseno Ænæ socio, & tubicinè ibidem sepulto; vulgo: *Bagui d' Agnano*: Banhos de Anzano: confer Virgilium Æn. VI. v. 232. sic Plinius. Lib. XVIII. c. VI. *Novissimè in Misenensi villam posuit C. Marius septies Consul*: vide Dion. Lib. LVIII., Suetonium Tiber. LXXII. & LXXIV.

9 *Quæ.*) Scilicet, Villa.

Monte summo.) I. e. In monte summo, in summa montis parte. V. Fab. IV. Præpositione etiam omisa Virgilius IV. Æn.

. . . . *Sanimoque utulârunt vertice Nympha.*

Posita.) I. e. Exstructa, ædificata: eleganter de ædificab-

tibus: sic Lib. III. Fab. IX.

Quæro tam angustam talis vir ponis domum?

sic *domos ponere* dicit Virgilius I. Georg. & VIII. Æn. *urbem ponere. Balnearia ponere*, Cicero II. Ep. I.

Luculli.) Summi & fortunatissimi Romanorum Legati.

10 *Prospectat.*) I. e. Ex alto eminens nec totum spectat: de situo desuper inspicit: quædam frequentativa rei difficultatem exprimit. Columella Lib. I. c. VI. *Æstivâ cubilia spectent meridiem æquinoclitalem, sed orationes ejusdem temporis prospectent hibernum orientem.* Virgilius Æn. I. 420.

. . . . *Collem, qui plurimus ardi*

Imminet, adversasque adspicit desuper arbes

ubi Servius: rei insensibili dat sensum.

Siculum.) Scilicet; Mare, quod a Sicilia Cretam usque excarrit: Zengma: *Mare di Sicilia*; Mar de Sicilia.

Prospicit occasus, interdum respicit ortus.

Tuscum.) I. e. Quod Tusciam alluit: Vulgo: *Mare Tirreno*, Mar de Toscana.

Ex alticinctis unus atriensibus,
 Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
 Erat dstricta, cirris dependentibus,
 Perambulante læta Domino viridia,
 Alvéolo cœpit ligneo conspergere

15

11 *Alticinctis.*) Negotiosos intelligit: tales namque cingere vestes altè solent, ne impediantur inter discurrendam: sic Horatius L. II.

. . . . Puer altè cinctus acer-
 ram

*Gausape purpureo mensam per-
 terat.*

Consule Ferrarium *De Re Vestiaria*, III. VII. Pignorium *De Servis*, pag. 271.

Atriensibus.) Atriensis fuit, cui cura atrii commissa erat, item supellectilis, nam hi stabant in atrio domus, limenque custodiebant.

12 *Linteo Pelusio.*) Ex Lino ab Ægypto, ubi Pelusium erat ostium Nili, & civitas Ægypti seracissima lili, ex quo conficiebantur lintea, vulgo vocatur: *Damiata*: confer Plinium Lib. XIX. c. I.

13 *Dstricta.*) I. e. Colligata, & quasi consuta: ad inferiora stricta. Tunicam enim ab humeris ad illa demiserat, ibique linteis adstraxerat, ne madeficeret, pectore, & brachiis nudis.

Cirris dependentibus.) I. e.

Fimbriis vestris, & tunicæ ipsius plicis, hoc cirros sunt qui accipiant de plicis tunicæ: alii putant esse fimbrias, oris extremo vestium solitas assui. Vide Pignorium *De servis* p. 461. sed vide & Ferrarium *De Re Vestiaria*, P. XI Lib. I. p. 39. Targionius verò de conis & capillis non quidem arte compositis, ut otiosis, & molliibus, sed dependentibus, ac solatis, ut in illis, qui operi & labori inhiant.

14 *Læta viridia.*) I. e. Viridaria, loca arboribus virentibus, herbis & graminibus consita, & amœna: *viridia* plurale neutrum adjectivi *viridis* hic substantivè usurpatur, ut apud Virgilium *Georg. I.* 125. *Sata læta*; et abundantes semeadas.

Domino.) Tiberio Cæsare; nam Imperatores olim vulgo *Domini* dicti; eorum autem uxores *Dominæ*, quod constat ex nummis Græcis & Latinis: IVLIA DOMNA AVG.

15 *Alvéolo . . . ligneo.*) Ligneo vase, ex uno caudice excavato.

Conspergere.) Sic Suetonius in *Calig. c. XLIII.* *Et a plebe*

Humum æstantem, come officium jactans :
 Sed deridetur. Inde notis flexibus
 Præcurrit alium in xystum, sedans pulverem.
 Agnoscit hominem Cæsar, remque intëlligit.
 Id ut putavit esse nescio quid boni,
 Heus, inquit Dominus. Ille enim verò adsilit :
 Donationis, alapæ certè, gaudio.

20

*verri sibi vias & conspergi pro-
 pter pulberem exigeret:* Plau-
 tus. *Conspergere ante aedes.*

16 *Humum æstantem.*) I. e. Ex nimio calore solis pulvere concitato ardentem.

Come officium.) I. e. Ministerium : jactans officii sui elegantiam, munditiâque; nam putabat, hoc officium Cæsari pergratum esse.

17 *Notis flexibus.*) I. e. Per vias horti sibi notas; seu per compendia viarum, per nota divortia : sic Virgilius *Æn.* IX.

Obficiunt equites sese ad dicortia nota.

sic Cicero ad Atticam. *Pons Tiberinus, in quo flexus ad iter Aspinas.*

18 *Alium in xystum.*) Locum deambulationis faciendis floribus adornatum, consitis utrinque platanis, &c. Cicero de Clar. Orat. c. III. *Quum ambularem in xysto, & essem vicius domi.* Vide Pilnium L. II. epist. XVII. n. 17. & L. IX. epist. VII. n. 4. *Xystus* quoque erat porticus ampla, in qua per

hiemen athletæ exercebantur : vide Vitruvium Lib. V. c. XI. extr.

Sedans pulverem.) Aqua conspersa, ne pulvere foedaretur.

19 *Agnoscit hantiem.*) Eleganter innuit contemptum : I. e. Hominis vanitatem negotiosam perspicit, simulque animum gratiæ ac libertatis captandæ : eodem sensu Terentius *Eon.* II. II.

Hic ego illum contempsi prave.
Quid, homo, inquam, ignavissime;

Remque intelligit.) I. e. Rem, quam Ardelio intendebat; seu animum, consilium Ardelionis, qui hoc factitabat gratiæ, & libertatis obtinendæ causa.

20 *Id ut putavit.*) I. e. Postquam putavit Ardelio quid boni sibi esse a Cæsare jam notum.

21 *Domitus.*) I. e. Tiberius : sic Imperatores nominabant titulo solemnî.

Adsilit.) I. e. Lætus saltu ad hanc vocem statim adcurrit.

22 *Donationis alacer gaudio.*) I. e. Alacer ob gaudium donationis causa; vel ob donatio-

Tum sic jocata est tanti majestas Ducis :
 Non multum egisti, & opera nequicquam perit :
 Multo majoris alapæ mecum veneunt.

25

nem : sic *Victoria gaudium*, apud Florum Lib. III. c. II. eadem locutione usus est Curtius Lib. X: V. *Alacer gaudio adcurrit*.

Alapæ certè.) I. e. Speratæ libertalis; ab alapa, qua a Domino percussus circum agebatur servus, dum libertate donabatur; sicque liber confirmabatur apud prætorem: *Alapæ* Metonymicè pro ipsa libertate usurpantur, quia manumissio servorum, quum in libertatem vindicarentur, per vindictam, i. e. virgam, & alapas fiebat.

Certè.) Significat, *Ad minimum*: quomodo apud Terentium, Andr. IV. 116.

.... *Atque aliquis dicat, Nihil promoveris.*

Multum; molestus certè ei fuero.

23 *Iocata est.*) I. e. Illum eludendo, sic per jocum inquit Cæsar.

Tanti ducis.) I. e. *Tanti Domini*, ut paulo ante: vide veteres Inscriptiones & Nummos.

24 *Opera.*) Quidquid es operatus, frustra actum est.

Nequicquam.) I. e. Sine premio.

Perit.) Notum est illud de ave quadam ad Augustum Cæsarem; *Opera & impensa perit*. Ob metri rationem notetur contractio in *perit*, quâ dyssillabum fit: aliqui cum Meursio & Freinshemio legunt *perit*.

25 *Alapæ mecum veneunt.*) I. e. Libertes, manumissiones apud me majoribus meritis pro mercede, ac pretio dari solent: & sic patebit sensus versus 22.

Donationis, alapæ certè, gaudio.

Mecum.) I. e. Apud me, domi meæ: hoc dicit: Meæ domus ea disciplina est, ut non tam facile, tamque parvo servi manumittantur. Terentius Eun. I. II. *Mecum tota sis*, i. e. mea: confer. Ovidium I. Amor.

Veneunt.) I. e. Venduntur: Libertas tam exiguo pretio a me non venditur.

FABULA VI.

CONTRA Aquila Cornix et Testudo

CONTRA potentes nemo est munitus satis :

Si verò accessit consiliator maleficus,

Vis, & nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Aquila in sublime sustulit Testudinem.

Quæ quum abdidisset corneâ corpus domo,

Nec ullo pacto lædi posset condita :

Venit per auras Cornix, & propter volans :

Opimam sanè prædam rapuisti unguibus;

5

2 Si verò.) Sic Terentius Andr. I. II. 18.

Siquis magistrum cepit ad eam rem improbum.

quod idem est: nam infra cornicem vocat Magistram.

Accessit.) I. e. Adjungitur ad illos potentes.

Consiliator.) Eandem vocem usurpavit Plinius IV. Epist. XVII. n. 6. Illi in gerendis consiliator & rector.

3 Vis; &c.) Quicquid est, quod vis & nequitia oppugnant, id ruit, si accesserit ad potentem consiliator maleficus: jungit auctor potentem, & consiliatorem maleficum: huic nequitiam, illi vim tribuit; &c.

4 Sustulit.) Sic propriè loquuntur de avibus.

5 Carnea domo.) Eleganter. I. e. Testa cornea, i. e. dura, firma, instar cornu, qua testudines muniuntur, & teguntur. Apud Persium Cornea fibra, &

apud alios; cornea corda. Metaphoricè.

6 Condita.) I. e. Tuta, hac ratione occultata in domo sua cornea; ut infra, Abscondita: sic Libri hujus Fab. VIII. Condidit.

7 Venit per auras, &c.) I. e. Advenit per aer, & prope ipsam Aquilam volans, ait.

Propter.) Scilicet, Aquilam, i. e. juxta, in vicinia, in propinquo: sic utuntur melioris ævi Poëtæ. Virgilius in Ecl. Propter aquæ rivum: sed Walchius ita docet: Propter hoc loco sumas adverbialiter, ut significare possit tam propè: sic Cicero pro Roscio Amerino cap. XXIII. Duo filii propter patrem eubantes.

Volans.) Scilicet, dixit: vel, sic aquilam adlocuta est.

8 Opimam.) I. e. Pinguem, delicalam: ita Cicero III. Ver. Optima, est pinguis.

Sed, nisi monstrâro, quid sit faciendum tibi,
 Gravi nequicquam te lassabis pōdere, 10
 Promissâ parte, suadet, ut scopulum super
 Altis ab astris duram inlidat cōrticem,
 Quâ comminutâ facilè vescatur cibo.
 Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
 Simul & magistræ largè divisit dapem. 15
 Sic, tuta quæ naturæ fuerat mūnere,
 Impar duabus occidit tristi nece.

10 *Nequicquam.*) I. e. Frustra, absque fructu: sic sup. Fab. V. ita Terentius, Cicero, Livius.

Pondere.) Scilicet, testudinis sublatae.

11 *Promissa parte.*) I. e. Promissa sibi ab Aquila parte praedae.

Suadet.) Scilicet, Cornix.

12 *Altis ab ostris.*) Poëticè, pro, e sublimi, ex summa parte aeris.

Duram . . . corticem.) Abusivè pro testa: supra dixit: *corneam domum*: cosfer Plinium Lib. IX. cap. XII.

Vescatur cibo.) Pleonasmus: Cicero Lib. II. N. D. Dii nec escis vescuntur.

14 *Inducta.*) Scilicet, ad credendum. Cornelius Nepos Conone, cap. III. *Nec facile ad credendum inducebatur.*

Monitis.) Scilicet, Cornicis.

15 *Magistræ.*) Scilicet, Cornici consiliatrici, quæ tanquam magastra eam docuerat, qua ratione esca sua posset vesci: vide Notam ad versum 2. *Sic verò accessit consiliatur maleficus*: sic Terentius And. I. H. *Tum siquis magistrum cepit ad eam rem improbum.*

Divisit.) I. e. Partes promissas dedit: vide Gronovium ad Statii Silvas, cap. XIII. pag. 71.

16 *Sic tuta.*) Sensus: Sic Testudo, quæ, ob corticem, seu corneam domum naturæ munere sibi datam, fuerat tuta: nam versu 6 sic:

Nec ullo pacto laedi posset condita.

17 *Impar duabus.*) I. e. Non valens se tueri a duabus; Aquilæ, & Cornice.

Tristi nece.) I. e. Gravi nece: sic Fab. II. Lib. I. & Fab. III. v. I.

FABVLA VII.

Muli & Latrones.

MVLI gravāti sárcinis ibant duo.
 Vnus ferebat fiscos cum pecuniá ;
 Alter tumentes multo saccos hórdeo.
 Ille ónere dives celsá cervíce eminens ,
 Clarumque collo jactans tintinnábulum :
 Comes quieto sequitur , & placido gradu ,
 Subitó latrones ex insidiis advolant ,
 Interque cædem ferro mullum trusitant.

5

1 *Muli.*) Muli antiquis temporibus frequenter adhibiti ad hoc opus, ut ferrent onera in dorso: vide Scheferum *De Re vehiculari*, Lib. I. cap. VIII.

2 *Fiscos.*) I. e. Corbes sparteos, in quibus recondebant Romani pecuniam publicam & imperatoriam: apud Romanos fiscus erat illud ærarium, quod ad ornatum Cæsaris ac dignitatem sumtus præbebat, & instituit illud Augustus Cæsar, qui provincias quoque diviserat cum Senatu, & populo, & adpellavit id non ærarium, sed *fiscum*; quod Lusitanicè sonat, *fisco*, *Camera Real*, quod autem ab ærario publico planè distinctum est: confer Tacitum Primo *Annal.*, cap. XXVII. n. 5.

4 *Onere.*) I. e. Pecunia, quam ferebat.

Celsá cervíce.) I. e. Sublata in altum; seu collum; & caput superbè efferens.

5 *Collo jactans tintinnabulum.*) Solebant suspendere tintinnabula ex collis mulórum, ut occursum eorum evitare possent equi.

6 *Comes.*) I. e. Alter ille mulus, cum hordeo.

Quietó) I. e. Sine agitatione multa pedum ac tumultu.

7 *Latrones.*) Fures pecorum, ita dicti, quod a latere adoriuntur, vel latenter insidiantur.

Ex insidiis.) I. e. Ex loco insidiarum, quemadmodum dicitur: *Intrare in insidias; Latere, Considerare in insidias.*

Advolant.) Verbum elegans, quo ardor & cupido nimia pecuniæ eripiendæ significatur.

8 *Interque cædem.*) Scilicet

Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
 Spoliatus igitur casus quum fleret suos,
 Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo;
 Nam nihil amisi, nec sum læsus vulnere.

10

*Hoc argumento tuta est hominum tenuitas;
 Magno periculo sunt opes obnoxiae.*

FABVLA VIII.

Cervus & Boves.

CERVUS nemorosus excitatus latibulis,
 Ut venatorum fugeret instantem necem,

eorum qui mulos agebant, velut resistentium; quam primum factam Poëta vult innuere.

Trusitant.) Vox obsoleta, i. e. Vulnerant: quod patet ex versu 12.

Nam nihil amisi, nec sum læsus vulnere.

alii legunt *tonsitant*; *tuditant* alii cum Meursio & Daneto, repugnante metri ratione.

10 *Spoliatus.*) Scilicet, Mulus spoliatus pecuniis, quibus erat ante onustus.

11 *Me contemptum gaudeo.*) Scilicet, a latronibus hordeum meum non curantibus.

13 *Hoc argumento.*) Scilicet, Menti firmiter insculpto: I. e. Secundum hoc argumentum; seu hac fabula demonstratur pauperes vitam tutam agere: infra Libro IV. *Hoc argumento se describi sentiat.*

Hominum tenuitas.) I. e. Homines non multum divites.

14 *Magno periculo sunt.*) I. e. In magno periculo versantur: quod Lusitanicè sonat. *Correns grande risco; vivem summamente arriscados.*

Opes.) I. e. Qui opibus abundant: Sic Sallustius *B. C. cap. I. Divitiarum & formæ gloria, fluxa atque fragilis est.*

1 *Nemorosus . . . latibulis.*)

I. e. Latibulis positus intra nemora.

Excitatus.) Propriè de venatione dicitur: sic Cicero de *Offic. III. Suntne igitur insidiæ, tendere plagas, etiamsi excitatus non sis, nec agiturus non sis, nec agiturus? ipsæ enim feræ nullo insequente sæpe incidunt.*

2 *Venatorum, &c.*) I. e. Ut fugeret necem sibi instantem, seu inferendam a venatoribus.

Cæco timóre proxímam villam petit,
 Et opportúno se bubili condidit.
 Heic Bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
 Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
 Hominumque tecto spiritum commiseris?
 At ille supplex. Vos modó, inquit, parcite:
 Ocasione rursus erumpam datá.
 Spatium diei noctis excipiunt vices.
 Frondem bubulcus adfert; nec ideó videt.

10

3 *Cæco timore.*) I. e. Timore ipsum cervum cæcum faciente; & periculi inconsideratum reddente, per Melonymiam effecti, qua & *Mors pallida* ab Horatio dicitur, quia facit homines pallidos.

4 *Opportuno . . . bubili.*) I. e. opportuné, ac commodé obvio; seu quod se commodé offerbat.

Bubili.) Dicitur a *bubus*, contracté pro *bovibus*; estque Adjectivum, in quo subauditur per Ellipsin *Stabulum*: vide Vossium de Analogia I. 21.

5 *Heic Bos, &c.*) Scilicet, ait Cervo heic, i. e. in hoc bubili latenti.

Quidnam.) I. e. Quidnam mali voluisti tibi parare? arguendi aliquem formula: sic Terentius Eun. III. V. 31. *Quid tibi vis? Satin sanus?* ubi Donatus notat illud, *quid tibi vis* referri ad antecedens, *quid mihi velim?* Virgilius Ecl. II. v. 8.

Heu quid volui misero mihi?

7 *Hominumque tecto.*) I. e.

Domibus hominum, ubi facilius capieris.

Spiritum.) I. e. Vitam; quia spiratione cessante, homo quoque desinit in vivis esse. Vellejus II. LXXXVII. n. 2. *Pampejum, ab eodem victum, idem Antanius, quum dignitatis quoque servanda dedisset fidem, etiam spiritu privavit.*

8 *Vos.*) Scilicet, ó boves.

Inquit.) Scilicet, Cervus.

Parcite.) I. e. Vitam mihi servate, ne me prodite: absolute, ut in illo Horatii IV. Od. I. *Rursus bella mores? parca, precor.*

9 *Ocasione . . . data.*) I. e. Quum occasio fuerit data.

Erumpam.) Eleganter de pro cursu inopinato celeriterque ex abdito: ita Cicero pro Sest. *Conjuratio ex latebris atque ex tenebris erupit.*

10 *Spatium, &c.*) I. e. Succedunt diei.

11 *Frondem.*) I. e. Pabulum bubus, quod apud veteres

Eunt subinde, & redeunt omnes rustici,
 Nemo animadvertit: transit etiam villicus,
 Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
 Bubus quietis agere cœpit gratias, 15
 Hospitium adverso quód-præstiterint tempore.
 Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
 Sed ille, qui oculos centum habet, si vénerit,
 Magno in periculo vita versatur tua.
 Hæc inter ipse dominus a cœnâ redit: 20

plerumque habebant ex frondibus.

Nec ideo videt.) Latinissimè, ut solet. Hoc vult Poëta innuere: . Etiamsi adtulerit, dederitque frondem in stabulis bubus, tamen latitantem in bubili Cervum non vidisset: sumsit autem ex Virgilio, ut cætera. Virgilius sic in Georg.

. . . . *Nec cellis ideo contende Falernis.*

12 *Omnes rustici.*) Colonos intelligit, & familiam ejus villæ.

13 *Nemo.*) I. e. Nullus ex omnibus iis rusticis.

Animadvertit.) Scilicet, Cervum ibi latitantem; seu potius quicquam, quod ex sequentibus etiam huc trahendum.

Villicus.) I. e. Qui villæ curam habet, caput-totius rusticæ familiæ: vide Pign. *De servis* pag. 540: & Pomp. *De oper. Serv.* pag. 33.

14 *Sentit.*) I. e. Animadvertit, ut versu præcedenti.

15 *Bubus quietis.*) I. e. Ta-

centibus. *Quietis* adjectivum est, non substantivum, conveniens cum *bubus*. *Quietos* vocat, quod non prodidisset latitantem.

16 *Hospitium, &c.*) I. e. Quod securitatem hospitii præstiterint.

18 *Qui oculos centum habet.*) Quia omnia accuratè inquirat, ea studiosè perlustrat, diligenter attendit, veluti si centum oculos haberet: Herum ipsum ea notat periphrasis, quæ eleganter curam ejus ac perspicaciam depingit adlusionem ad Argum, cui centum erat oculi. *Oculus* enim hoc loco non tantum exterius visionis organum, sed per Translationem quoque interiorem mentem & cognitionem significat; quæ quidem significatio in Sacris Pandectis non rarò occurrit: confer sibi Genes. XVI. 4. I. Sam. XV. 17. 2. Sam. VI. XXII., Ioann. V. XXXV. *Ex Walchio.*

19 *Versatur.*) Enallagè est præsentis pro futuro: i. e. constituta erit.

Et quia corruptos viderat nuper boves,
 Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est?
 Stramenta desunt. Tollere hæc aranea
 Quanti est laboris? Dum scrutatur singula,
 Cervi quoque alta est conspicatus cornua,
 Quem convocata jubet occidi familia,
 Prædamque tollit. *Hæc significat fabula,*
Dominum videre plurimum in rebus suis,

25

21 *Corruptos.*) I. e. Macilentos; macie perditos; malè habitos: imitatio Græci sermonis: ita Gæsar, quamquam plenius, *corruptos macie equos* dixit Lib. III. B. G.

22 *Cur; &c.*) Cur, ait herus, tam modicæ frondes adpositæ sunt.

23 *Tollere hæc aranea.*) Videns, in scrutando, arancas, Numquid, ait, magni laboris est tollere has telas aranearum?

Aranea.) Telas intelligit. Nempe *Araneus*, a, um, adjectivum est: hinc *araneum* neutraliter & absolutè, opus aranearum, subaudito *textum*, vel *rete*: sic Petronius dixit, *araneis*

oleo madentibus, i. e. telis aranearum.

24 *Quanti, &c.*) Videns, in scrutando: araneos, Numquid, ait, magni laboris est tollere has telas aranearum? sed quanta vestra negligentia est! Burmannus legit *Quantum*; quam lectionem firmat exemplis: Ovidius Ep. XII. 16. *Quantum perfidiæ*. Terentius Phorm. IV. V. *Quantum dotis*.

26 *Convocata . . . familia.*) I. e. Convocatis servis rusticis. *Familia* hic propriam obtinet significationem & denotat cæterum servorum in una domo.

27 *Prædam.*) Cervum caput, & occisum.

EPILOGVS.

ÆSOPI ingenio statuum posuere Attici,
 Servumque collocarunt æternâ in basi,
 Patere honoris scirent ut cuncti viam,
 Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam:
 Quoniam occuparat alter, ne primus forent,

1 *Æsopi ingenio.*) I. e. Æsopo, ob suum ingenium, & virtutem: sic Præfat. Lib. III.

Æternam famam condere ingenio suo.

alii cum Walchio *Æsopo ingentem statuum; &c.*

Posuere.) I. e. Erexere, eleganter de statuis: solempne apud Græcos & Romanos erat magnis viris & ducibus amplissimis, eruditisque hominibus honoris ergo statuas ponere, quod pluribus Edmundus Frigelius *De Statuis Veter.* exposuit. De statua in honorem Alcibiadis posita agit Nepos: illam quæ Homero, atque Hesiodo erecta est, memorat Pausanias in Eliacis prioribus; & de ea, quam Athenienses Demostheni, principi oratorum, posuerant, agit Plutarchus: sic Ovidius. III. Art. 409.

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,

Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Attici.) I. e. Athenienses: Attica est regio Achajæ, in qua Athenæ.

2 *Servumque.*) Significanter. I. e. Æsopum, licet esset servus; & servis origi non solerent statuae, nempe quia his concessus iste honor minimè fuisset, ejus tamen statuum collocarunt super basim.

Æternâ in basi.) I. e. Æternum si fieri posset, duratura: respectu voluntatis, & propositi Atheniensium. Erant enim bases illæ ex saxo, forma quadrata, vel rotunda, in eisque statuae fundabantur.

3 *Patere.*) Ita Inscriptio apud Gruter. pag. 705. 12. *Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, non quærit censum, sed nudo homine contenta est.*

5 *Quoniam occuparat alter, &c.*) Ordo est: studui ne alter esset solus (fabulator) quoniam occuparat (i. e. anteverterat me) ne forem primus: quod (unum mihi) superfuit: i. e. relictum

Ne solus esset, studui, quod superfuit.
 Neque hæc invidia, verum est æmulatio.
 Quòd si labóri fáverit Latium meo,
 Plures habebit, quos opponat Græciæ.

erat, vel proximum erat. Hæc enim est sententia: Quia Attici facto suo docuerunt, cunctis cuiuscumque sortis aditum patere ad honorem: ego quoque consequi eum studui exemplo Æsopi, qui scribendo fabulas acquisiverat ante me hanc gloriam.

6 *Ne solus esset.*) I. e. Scribens etiam ego fabulas curavi assequi similem gloriam, ne solus sibi eam vindicaret Æsopus.

Quod superfuit.) I. e. Quod unum præterea efficere potui.

7 *Invidia.*) I. e. Mœror ex gloria Æsopi, quum eandem eripere tentem.

8 *Æmulatio.*) I. e. Sed solùm eum imitari, & consequi laboro: hæc vox propriè de discipulis dicitur, qui præceptorem imitantur: ita quidem hic sumitur: cæterum hæc vox duplicem habet significationem, alteram ad laudem, alteram ad culpam: Cicero de ea Lib. IV. Tuscul. c. VIII. *Dupliciter illa quidem dicitur, ut & in laude, & in vitio nomen hoc sit: nam & imitatio virtutis, æmulatio dicitur: & est æmulatio ægritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiat, ipse careat:* Eleganter

etiam Vellejus I. 17. 6. 7. *Alit æmulatio ingenia: & nunc invidia: nunc admiratio incitationem accendit; &c.* Æmulatio itaque degenerans nil nisi invidia est: vide J. Fr. Gronovium ad Livium I. 18.

8 *Latium.*) I. e. Latini, qui in Latio, & Romæ præsertim degunt: Metonymia subjecti. *Latium* porro regio Italiæ notissima inter Hetruriam, & Campaniam, a latendo dicta, quod ibi Saturnus latitavit.

9 *Plures.*) Qui in litteris excellent, & quos proinde opponere poterit insignioribus Græciæ viris, quia similia facient, incitati exemplo meo.

Opponat.) Tanquam tales, qui, quod ibi Græcè alii, ipsi Latine composuerunt, æquali ingenio, præstantiaque: cum hæc enim certamen omnis laudis erat Latio. Generis hujus sunt vitæ Parallelæ Plutarchi, Macrobius de Homero & Virgilio: sic oppositi Poëtæ, Oratores: alii. Græci enim sua tantum mirantes, ut ait Tacitus II. 88. 5. invidebant Romanis, ut ex Cicero nobis exemplum constat.

Si livor obtrectare curam voluerit, 10
 Non tamen eripiet laudis conscientiam.
 Si nostrum studium ad aures pervenit tuas;
 Et arte fictas animus sentit fabulas,
 Omnem querelam submovet felicitas.
 Sin autem & illis doctus occurrit labor, 15
 Sinistra quos in lucem natura extulit;
 Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere,

10 *Livor.*) I. e. Invidia; seu homines invidia & livore adfecti.

Curam.) I. e. Hoc opus cum cura, studioque a me elaboratum; meum laborem: sic Tacitus IV. An. II. *Quorum in manus cura nostra venerit.*

11 *Eripiet.*) Mibi scilicet, quippe qui me ista sic scripsisse scio, ut promeritus sim laudem.

Conscientiam.) I. e. Non efficiet ut conscius mibi ipse non sim, me verè laudem, & gloriam mereri: ut mox sequenti Lib. III.

. . . *Gloria solennis mihi debetur.*

12 *Pervenit.*) Cicero, accedere ad aures, dicere amat: de rumore loquuntur. Virgilius *Æn.* II.

Fando aliquid si fortè tuas pervenit ad aures.

13 *Arte fictas.*) I. e. exco-
 gitatas singulari studio, & arte: subaudiatur per Ellipsin esse.

Sentit.) Eleganter. Si experiris, scriptas esse has fabulas non ineptè, sed arte singulari.

14 *Omnem querelam submovet.*) I. e. Tam felix sum, seu ita mihi beatus videor, ut nihil habeam quod querar.

Felicitas.) Quam in hoc tuo iudicio experior; seu qua talem invenilectorem, qui & intelligit artem & ex ea capit delectationem.

15 *Sin autem.*) I. e. Si vero hæ fabulæ ad eorum manus, & aures perveniunt, qui maligni sunt.

Occurrit.) I. e. Pervenit.

16 *Sinistra.*) I. e. Infausta, adversa; inimica hominum generi, tam malignos homines procreando.

Extulit.) I. e. Protulit, edidit: sic Cicero loquitur.

17 *Nec quicquam.*) Deest qui; nam diversus casus præcessit.

Possunt.) I. e. Qui non aliud possunt.

Fatale exitium corde durato feram ,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

EXPLICIT LIB. II.

18 *Fatale exitium.*) I. e. Malignitatem hanc, non mea culpa, sed Fatorum voluntate, & aliorum perfidia in me pertinaciter sævientem.

Exitium.) I. e. Calumniam, injuriam.

(Corde durato.) I. e. Corde confirmato, obfirmato a me, at-

que obdurato ad hæc mala fortiter perferenda : sumpsit ex Plauto, ut alia : sic Pæud. A. II. sc. III. *Crucior, cor dura.*

19 *Fortunam criminis pudeat sui.*) Quippe quæ sic oppresserit, & adflixerit innocentem : ita sæpe veteres.

PHÆDRI AVG. LIB.
FABVLARVM

LIBER TERTIVS.

PROLOGVS

AD EVTYCHVM.

PHÆDRI libellos légere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Vt liber animus sentiat vim carminis.
Verúm, inquis, tanti non est ingenium tuum,

1 *Phædri libellos.*) I. e. Meos:
sic loquuntur in primis Poëtæ.
Phyrrus apud Virgilium *Æn. II.*
expresso suo ipsius nomine ad
Priamum Regem.

. . . *Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemmum
narrare memento.*

& *Æn. IX.* Mater Euryali.

. . . *Nec te, sub tanta pericu-
la missum.*

*Adfari extremum miseræ data
copia matri.*

i. e. mihi. Apud Terentium *Hec.*
V. IV. 37. Parmeno etiam de
se.

. *An*

*Temerè quidquam Parmeno-
nem prætereat, quod factu
usu' sit.*

confer sis eundem in *Phorm. V.*
VIII. 38.

2 *Vaces . . . a negotiis.*) I. e.
A curis publici officii, quomodo
plerique veteres; unde etiam *ne-
gotiosa vita*, quæ opponitur pri-
vatæ et otiosæ, & contempla-
tioni litterisque deditæ.

3 *Liber animus.*) Idem est,
quod *vacans a negotiis*. Sic Ho-
ratius *Epod. II.*

Beatus ille, qui procul negotiis:
& hoc quidem iunxit Phædrus.

Sentiat.) I. e. Experiatur,
cognoscat: sic epilogo præceden-
ti Libri II,

*Et arte factas animus sentit fa-
bulas.*

4 *Ingenium tuum.*) Metony-
mia: i. e. Scripta tua, hæ tuæ,
fabulæ tam præstantes non sunt,
ut in lectione occupent me Offi-
cii publicis destinatum: ita Pro-
pertius I. 7.

Momentum ut horæ pereat officii mei.
 Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
 Quod occupatis auribus non convenit.
 Fortassé dices: Aliquæ venient feriæ,
 Quæ me soluto pectore ad stúdiū vocent.
 Legesne, quæso, potius viles nenias,
 Impendas curam quàm rei domesticæ,
 Reddas amicis tempora, uxóri vaces,

5

10

Tunc ego Romanis præferar ingenis.

i. e. Poëtis.

5 *Momentum.*) I. e. Minimum temporis, horæve punctum, quæ hora, vel quod tempus officio est destinatum: itaque officium de munere publico, quod sustinebat Eutyclus, forsân in Aula principalis.

6 *Ne ergo causa est, &c.*) Respondet Poëta objectioni, quam ipse finxit. Non opus est igitur, te vel manibus adtingere hos libellos, quos quum habeas aures aliis rebus detentas, & occupatas planè sentire, ac percipere non potes.

7 *Quod occupatis.*) I. e. Quod minimè decet aures impeditas, & negotiis distractas.

8 *Fortasse dices.*) Nova Prolepsis.

Feris.) I. e. Dies vacui à negotiis, in quibus scilicet nihil agere erat licitum.

9 *Soluto pectore.*) I. e. Libero a curis negotiorum. *Libero animq;* ut paulo ante: sic Cicero in Verrina I.

Animo soluto ac libero dixit.

Ad studium.) I. e. Ad lectionem librorum.

10 *Legesne.*) Respondet Phædrus per interrogationem: an non quamvis tibi vacet, quidvis potius perages, quàm meas fabulas perleges?

Viles nenias.) I. e. Cantilenas nugatorias; ineptias, fabulas inutiles: sic per modestiam, vel ex sententia Eutychi, fabulas adpellans. *Nenia*, carmen, quo mulcentur aures puerorum: sic Horatius I. Ep.

Roscia, dic, sodes, melior lex, an puerorum

Nenia, qui rectè regnum scientibus offert.

11 *Impendas curam, &c.*) I. e. Des operam rei familiaris.

12 *Reddas, &c.*) Velut ex debito mutui officii: nam reddere est tributum sibi suisque negotiis ab aliis, iisdem retribuere, ac pariter vacare aliis.

Uxóri vaces.) I. e. Fabularis cum uxore, seria & jocos miscas, agas, quæ quoquo modo ei esse possunt grata, & jucunda, quod nempe non potes die-

Animum relaxes, otium des corpore,
 Ut aduētam fortiūs præstes vicem?
 Mutandum tibi propòsitum est, & vitæ gènus. 15
 Intrâre si Musarum limen cògitas.
 Ego, quem Pièrio mater enixa est jugo,
 In quo Tonanti sancta Mnemosyne Iovi,
 Fœcunda novies, Artium péperit chorum,

bus aliis, occupatus negotiis.

13 *Otium des corpore.*) I. e. Cures corpus, & reficias honesta remissione.

14 *Adsuētam.*) Quadrissyllabum est, exigente sic versu, ut supra.

Præstes vicem.) I. e. Péragas manus tuam. *Præstare* est peragere: sic Cicero, *munus suum præstare.*

15 *Propositum.*) I. e. Ratio, institutum, scopus, finis, quem tibi proposuisti: ita hæc vox usurpatur ab-auctoribus. Iustinus *J. lib. VI. c. VIII. de Epaminonda. Neque ab hoc vitæ proposito mortis ratio dissensit:* i. e. *ab hoc vivendi instituto.* Seneca *Epist. LXVIII. Aliud proposito tuo nomèn impone.*

16 *Musarum limen.*) I. e. Templum Musarum, ipsis, ac Pœsi vacando.

17 *Pierio jugo.*) Pierius Mons Thessaliæ nunc adscriptus, olim autem Thraciæ, in Macedoniæ confinio ab antiquis sedes & domicilium Musarum creditus est; ipsis etiam Musis sacer, quæ ex eo Pierides dictæ sunt.

18 *Tonanti...Iovi.*) Epitheton Iovis a Poëtis non semel usurpatum, qui & absolutè *Tonans* dicitur. Ovidius *Epist. Dejaniræ. Velit hoc Germana Tonantis.*

i. e. Iuno.

18 *Mnemosyne.*) Vox Græca est, & Latine *Memoria*, est Nympha Pieris, quæ habuit ex Iove novem Filias, quas Musas vocamus, & uno partu edidit. Poëtas hanc Musarum matrem sâxere, quia omnium scientiarum thesaurus & eruditio beneficio memoriæ acquiritur & conservatur: habet vero nomen novem litteras pro numero filiarum: confer sis Hesiodum *Scuy. v. 51.* & Nasonem *Metamorph. VI. v. 114.*

19 *Fœcunda novies.*) Eleganter. I. e. Quæ novem foetus edidit uno partu.

Artium.) I. e. Musarum, quæ artes invenerunt.

Chorum.) I. e. Novem Musas, quæ præsident Artibus, quæ invenerunt. Chorus propriè est cœvorum cantus & saltatio in Tragœdiis aut Comœdiis: accipitur verò impropiè pro quovis

Quamvis in ipsâ penè sim natus scholâ,
Curamque habendi penitùs corde erâserim,
Et laude multâ vitam in hanc incubuerim,

20

personarum número; ut hic pro novem Musis. Prima vocabatur Clio, historię parens: Secunda Melpomene, Tragediæ: Tertia Thalia, Comædiæ: Quarta Euterpe, fistularum: Quinta Terpsichore, Citharæ: Sexta Erato, Lyræ: Septima Calliope, versuum heroico: um: Octava Urania, Astrologiæ: Nona Polihymnia, Eloquentiæ: quas omnes eleganti quidem carmine Ausonius comprehendit: cujus initium sic se habet: *Clio gesta canens; &c.*

20 *Quamvis.*) Ita est hujus versus lectio constituenda, & sic metrum conserrandum; ex Heinssii lectione: sed consulantur de hac re interpretes.

Sim natus.) De Epaminonda sic dixit Justinus, *fuisse hominem inter litteras natum.*

Schola.) I. e. In Pierio monte, ubi Musæ commorantur, & unde, veluti ex schola omnes Artes per illas propagatæ dicuntur.

21 *Curamque habendi.*) I. e. Divitiarum cupiditatem.

Habendi.) Supple per Ellipsin, *rem, pecunias. Amor habendi* apud Ovidium pro avaritia.

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.
Et Horatius I. Epist. VII.

Amore senescit habendi.

Eraserim.) Eleganter, ad indicandum studium summum ejiciendæ ejus cupiditatis: sic *eradere timorem* dixit Seneca in Thyesti. Horatius Lib. III. Od. XXIV. v. 51.

Eradenda cupidinis

Pravi sunt elementa; & teneræ nimis -

Mentes asperioribus

Formandæ studiis. . .

22 *Laude nulla*) Hoc dicit Poëta. Quamvis ergo in hoc studiorum genere multam laudem, & gloriam sim adsecutus, utpote qui tam obnixè studiis operam dederim; ægrè tamen, & non nisi quodam cum fastidio, recipior in Musarum cœtum. *Laus nulla* hic autem est, non quidem magna, sed multa, sive multorum hominum: quod modestius est, quam si dixisset, magna laude: multam enim laudem a multis mereri facilius est, quàm a magnis magnam: sic Horatius de Arte Poëtica:

Successit vetus his Comædia non sine multa.

Laude.

Passim autem Phædrus sibi laudem tribuit: sic Epilogo Libri præcedentis:

Si livor obrectare curam voluerit,

Fastidiosè tamen in cœtum recipior.
 Qui credis illi accidere, qui magnas opes
 Exaggerare quærit omni vigiliâ,
 Docto labori dulce præponens lucrum?
 Sed jam, quodcumque fuerit (ut dixit Sinon,
 Ad Regem quom Dárdaniæ perductus foret)
 Librum exarâbo tertium Æsôpi stilo,

25

Non tamen eripiet laudis conscienciam.

Et in fine hujus Præfationis:

Quoniam mihi solemnitas debetur gloria.

Iterum in Præfatione Libri V.
Mihi parva laus est.

Vitam in hanc.) Scilicet, scholasticam.

23 *Fastidiosè.)* I. e. Ægrè, difficulter, gravatè, & quasi cum fastidio, & dedignatione ejus, qui tantopere ambit: sic Cicero in Epist. Attic. *Lentè & fastidiosè probare.* Horatius III. Od. I.

Dominusque terræ fastidiosus.

In cœtum.) Scilicet, Musarum: sensus est: etiam omnia posthabui litteris ac doctrinæ, ut opes, & gloriam, tamen ad eam veram, solidam, summam, perfectamque doctrinam non nisi difficulter ac serò pervenio.

25 *Omni vigiliâ.)* I. e. Omni cura, vigilantia, & sollicitudine: sic Cicero in Præfat. Parad. *Illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine adparuit.*

26 *Dulce . . . lucrûm.)* I. e. Iucundum, propter varias cupi-

ditates ex pecunia: sic Terentius Heant. II. II. *Cui nihil jam præter pretium dulce est.*

27 *Quodcumque fuerit: &c.)*

His verbis, seu hac oratione usus est Sinon ille Græcus, qui dolo malo Trojanos prodidit, quum obsessa Troja Trojanis se capiendum obtulit, & ad Priamum Regem deductus, ipsi persuasit abisse Græcos, atque equum illum ingentem in urbem ducendum: sic Virgilius Æn. II.

Cunctæ equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque fatebor. sic etiam Terentius Hecyr. IV. IV. 47. *Quidquid futurum fuerit.*

28 *Ad regem.)* I. e. Priamum, Regem Trojanorum, qui vocati sunt Dardanii à Dardano filio Iovis, & Electræ, qui Regnum Trojanum condidit, unde & ipsa regio Dardiana dicta est: postea urbs Provinciæ caput dicta fuit Troja, & populus Trojani, a Troe atavo Priami.

29 *Exarâbo.)* Scilicet, *stilo:* hæ voces sunt conjungendæ: *Exarare stilo* est scribere.

Honóri, & meritis dédicans illum tuis :

30

• Quem si leges, lætabor: sin autem minus;
Habebunt certè, quo se oblectent posteri.

Nunc, fabularum cur sit inventum genus,

Brevi docebo. Servitus obnoxia,

Quia, quæ volébat, non audébat dicere,

35

Adfectus proprios in fabellas transtulit,

Calumniamque fictis elúsit jocis.

Ego porro illius semitâ feci viam,

30 *Honori & meritis.*) Ex veteri formula, quæ in Inscriptionibus frequens.

33 *Fabularum . . . genus.*) Cur Fabulæ sint inventæ: sic *Jocorum genus* infra Lib. IV.: & sic *Piscium genus* apud Horatium Lib. I. Od. II. pro piscibus.

Piscium & summa genus hæsit ulmo.

34 *Brevi.*) Ita enim & Cicero III. ad Fam. VIII. *Brevi tuis litteris responderem: & IV. V. Decrevi brevi ad te perscribere.*

Servitus.) I. e. Æsopus servus: servivit enim is Xantho Philosopho.

Obnoxia.) Absolutè. I. e. Arbitrio ac potestati alienæ subiecta; & non Æsopus solum, sed ferè omnes qui alterius imperio subduntur: sic Plautus in Trin. IV. III. *Si bonus est, obnoxius sum.*

36 *Adfectus proprios.*) Non intelligit perturbationes, sed sensus animi, casus, & res quæ ac-

cidebant ipsi, quæ eum adfliciebant: hoc vult, omnes casus, qui venerant, omnem injuriam, quæ adfliciebatur, ultum esse fabula.

37 *Elusit.*) I. e. Evitavit, effecit ne putarem calumniari aliquem. Sic Lib. I. Fabul. XII. *Jocis.*) I. e. Fabulis: sic Prol. Lib. II: *Narrantis jocus.*

38 *Ego porro, &c.*) I. e. Quod Æsopus ille incepit, ego polivi, anzi, perfeci: mirè se torquent de hujus versus lectione, quem Walchius cum aliis ita legunt: *Ego illius post semita feci viam*; alii verò cum Hoogstratano, & Facciolato sic: *Æsopi illius semita fecit viam*: ego quidem amplexus sum Henrici Hostii lectionem: sensus autem sic se habet: = *Primus Æsopus materiam fabularum reperit, quam ego polivi versibus: sic effeci ut illius semita, quam primus triverat, evaderet via*: = *semita enim sit via, quum a plurimis frequentatur, & sic vulgatur magis. Semitam & viam conjunxit*

Et cogitavi plura, quàm reliquerat,
 In calamitatem deligens quædam meam. 40
 Quòd si accusator alius Sejano foret;
 Si testis alius, judex alius denique,
 Dignum fatéret esse me tantis malis;
 Nec his dolórem delenirem remediis.
 Suspicione si quis errábit suá, 45
 Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,

& Cicero Accus. II. in Verr. c. XXIII. *Attendit jam intelligetis hanc pecuniam, qua via modo visa est exire ab isto, eadem semita revertisse.*

39 *Cogitavi.*) I. e. Excogitavi; inveni plures alias fabulas, quàm non sunt eæ, quas scriptas reliquit Æsopus: sic Nepos vita Datamis c. VI. *Quod ad suam perniciem fuerat cogitatum, id est, excogitatum.* Livius L. II. 55. *Aliud agendum, ac cogilandum.*

40 *In calamitatem, &c.*) I. e. In aliquibus fabulis adludens paucis ad calamitatem, seu potiùs ad fortunam meam adversam, quam passus sum sub Sejano.

41 *Accusator alius Sejano.*) Præpositio omissa, pro *a Sejano*; hoc est, quam Sejano; seu quisquam alius præterquam Sejano; &c. sic Horatius.

Neve putes alium sapiente bonoque beatur.
 vide de hac constructione Gerard. Ioan. Vossium de Constructione c. XIV.

Ælius Sejanus pro arbitrio cuncta gessit sub Tiberio, suamque latissimè exercuit potestatem: in ejus odium incidit Phædrus, qui ab eo variis criminibus & quidem falsis accusatus vix evasit incolumis, quum ille esset accusator simul, & judex: genus loquendi a Græcis sumptum.

42 *Judex.*) Vox Iudicis vim Sejani innuit, ob quam satis ad damnationem in judicio fuit, a Sejano accusari.

44 *Nec his. . . remediis.*) I. e. His fabulis; quod est; nec hæc solatiâ mihi conquirerem.

45 *Suspicione.*) I. e. Si quis errabit, suspicando dictum esse de se, quod est commune, & ad omnes spectat; sic Cicero pro Lege Manilia, cap. XIII. *Vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui hæc fecerint: ego autem neminem nomino: quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.* Secundam in suspicione per diastolen producit.

46 *Et rapiet ad se.*) Elegan-

Stultè nudabit animi conscientiam.
 Huic excusatum me velim nihilominus;
 Neque enim notare singulos mœns est mihi:
 Verùm ipsam vitam, & mores hominum ostendere. 50
 Rem me professum dicet fors aliquis gravem:
 Si Phryx Æsopus potuit, Anacharsis Scythæ,
 Æternam famam condere ingenio suo:

ter. I. e. Dicet se tactum & exagitatum hac illave fabula.

Quod erit commune.) I. e. Quod dicitur omnibus, quod tangit omnes.

Erit.) Peculiari notione poni- tur, pro esse debet.

47 *Nudabit.)* I. e. Prodest: ostendet se habere conscientiam, & esse reum illius mali, de quo suspicabitur se reprehendi: nihilominus tamen ego velim me excusatum ei, quia non propterea scripsi, ut sic hic & ille se nudaret: cæterum nudare est hic omnibus conspiciendam præbere.

49 *Notare.)* I. e. Hujus vel illius vitam reprehendere.

50 *Ostendere.)* Quales nempe sunt in vita communi.

51 *Rem me professum, &c.)* I. e. Me pollicitum, & aggressum rem supra mea vires.

51 *Fors.)* I. e. Forsitan, forsitan: adverbialiter dictum.

Phryx Æsopus.) I. e. In Phrygia natus, quæ est regio Asiæ Minoris.

Anacharsis Scythæ; &c.) Pro, & Anacharsis: sic Fab. IX.

Lib. I. heic omittitur conjunctio si, quæ iterum subintelligitur.

Oppressum ab Aquila, fletus edentem graves.

pro, & fletus edentem: Anacharsis fuit Philosophus Scythicus multa sapientia & doctrina præditus, qui tempore Solonis floruit, & summa usus est libertate in carpendis hominum moribus, multaque præclare dicta posteritati reliquit, ob suam sapientiam admirandam, sobrietatem, continentiam, abstinentiam, & temperantiam, ut Cicero L. V. T. Q. scribit: de Scytharum autem philosophia, qui ad studia nati esse minimè videbantur, constat ex Q. Curtio VII. 8. & ex Iustino Lib II. c. I. II.

53 *Condere.)* I. e. Extrudere, parare famam, sic Plinius dixit, condere laudes alicujus. Ovidius II. Trist.

Divitis ingenti est immania Cæsaris acta Condere.)

Ingenio suo.) I. e. Scriptis suis, quæ ingenii ope ediderunt.

Ego, litteratæ qui sum propior Græciæ.
 Cur somno inerti deseram patriæ decus?
 Threïssa quum gens numeret auctores suos,
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
 Qui saxa cantu movit, & domuit feras,

55

54 *Litteratæ . . . Græciæ.*) Meritò: vel ob solas Athenas, omnium artium inventrices, quas & doctas vocavit Propertium.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas. vel ob studia litterarum, quibus maximè floruit.

Propior.) Nam ex Thracia erat Phædrus, natus in monte Pierio cui propior est Græcia.

55 *Somno inerti.*) I. e. Ignavia, pigritia, torpore meo deseram studia, quibus patriæ decus adjungere valeam.

Deseram.) I. e. Omittam curare, ac promovere, quum possum.

56 *Threïssa gens.*) I. e. Thracia, ex qua natus sum, & in qua habitârunt Apollo, & Musa, ex quibus geniti sunt Linus, & Orpheus, qui Græciam litteris instruxerunt: indicat vero Phædrus se genere Thracem esse, ideoque Græciæ, eruditionis parenti, propiorem, quam erat vel Æscopus Phryx, vel Anacharsis Scythæ.

Numeret.) I. e. Multos habeat auctores.

57 *Linoque Apollo, &c.*) Linus filius Apollinis & Terpsicho-

ræ, aut, ut alii volunt, Mercurii & Vranix, fuit Musicus, & Poëta vetustissimus genitus Thebis in Bœotia, Achajæ regione, qui Herculem in litteris & canendi arte instituit: vide Ælian. *V. H.* III. cap. XXXII. sic enim Virgilius *Ecl.* IV. 57.

Huic mater quamvis, atque huic pater adsit

Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Musa Orpheo.) Is fuit genere Thrax, filius Apollinis & Calliope, quem a Mercurio, aut a patre Apollini ferunt accipisse lyram, quâ tantum valuit, ut cantu silvas, saxa moverit, reduxeritque uxorem suam Eurydica ab inferis: fuit occisus a Mænadibus juxta Hebrum fluvium: an Orpheus unquam exstiterit, a quibusdam tam antiquis, quam recentioribus negatur, ut a Cicerone *Lib. I. de N. D.* 107. 108, P. D. Hætius, vir illustris, in *Demonstratione Evangelicæ* p. 213. Edit. Lips. an. 1703. Orpheum Mosen fuisse statuit: multa alia, eruditè quidem excogitata, disces hoc loco ex Walchio.

58 *Qui saxa, &c.*) I. e.

Hebrique tenuit impetus dulci morâ.

Ergo hinc abesto, Livor, ne frustra gemas:

60

Quoniam mihi solemnis debetur gloria.

Induxi te ad legendum: sincerum mihi

Candore noto reddas iudicium peto.

Qui cantu & dulcedine Lyrae detinuit a cursu dulci morâ, ob dulcedinem cantûs, aquas Hebri fluminalis in Tracia: sic Naso XI. Metam.

. *Silvas, animosque ferarum*

Threicius vates & saxa latentia traxit.

Lib. III. Art. Amat. v. 321:

Saxa ferasque lyra movit

Rhodopeius Orpheus.

sic etiam Horatius in *A. P.* de ea, & Amphione.

Silvestres homines & sacer, interpresque Drorum,

Cædibus, & victu fædo deteruit Orpheus,

Dictus ob hoc lentre tigres, rabidosque leones.

Dictus & Amphion Thebanae conditor arcis

Saxa movere sono testudinis, & prece blanda

Ducere quo vellet.

adde Virgilium Georg IV. 450.

& sequentibus: disputant, utrum musica hæc Orphei propriè sit intelligenda, an translata, seu metaphoricè.

59 *Hebrique.*) Hebrus fluvius

Thraciæ ex Hæmo monte oriens, & in Ægeum mare extens, in quem fluvium caput Orphei abjectum est: vide Naso XI. Met. v. 90.

Dulci morâ.) I. e. Carmine

Tenuit impetus.) I. e. Moratus est dulcedine carminis.

60 *Livor.*) I. e. Invidia.

Ne frustra gemas.) Ob felicitatem alienam; quum tollere, vel imminuere hanc gloriam non possis: propriè de Livore.

61 *Solemnis. . . gloria.*) I. e. Solita gloria, quæ summis viris concessa fuit; & mihi etiam propterea constituta est, & prescripta: respicit exempla Lini, & Orphei, qui tametsi Thraces fuerint, tamen tantam obtinuerunt gloriam.

62 *Induxi te.*) Hic sensus est; Scio, me his compulsisse te, Eutyche ut legas: pro hac mea opera, si ex ea juvandum aliquid tibi accidit, hoc unum peto ut reddas iudicium.

63 *Nota.*) I. e. Quem constat in te esse situm.

Iudicium.) Iudices candidè & sincerè de his libellis.

FABVLA I:

Anus ad Amphoram.

ANUS jacere vidit epotam amphoram,
 Adhuc, Falernâ fæce, e testâ nobili
 Odorem quæ jucundam latè spargeret.
 Hunc postquam totis ávida traxit naribus:

1 *Anus.*) Proverbium vetus est. *Anus ad armillum redit*, i. e., ad vas vinarium: constructio talis est. Anus vidit amphoram epotam (i. e., exhaustam) jacere, adhuc Falernâ fæce, quæ latè spargeret jucundum odorem e testa nobili. *Epotus* ab epoto, diciturque *epota* pro *epolata* per Grammaticorum Syncopam: sic Suetonius in Tiberio XLII. *Ignotissimum quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram.*

Amphoram.) Vinarium vas octo & quadraginta sextarios continens: in his vasis vinum Falernum servabatur.

2 *Falernâ fæce.*) I. e. Fæce Falerni vini, quod in summo pretio habebatur. Falernus mons & ager erat. Campaniæ: ager frumenti, mons vim generosissimi ferax: sic Horatius Lib. II. Satyr. II.

Surrentina vaser qui miscet fæce Falernâ.

Vina, columbino linum bene colligit ovo.
 apud Prudentium I. Hymn. 126. est *Mustum Falernum.*

Fæce.) In qua supererat fæx, quæ latè spargebat suum odorem ex ea testa.

Nobili.) Vel ex materia, unde erat confata; vel ex optimo Falerno, quod in ea fuerat; nam inscriptum habebat titulum tam celebrati vini: solebant enim veteres inscribere istis amphoris nomen vini, ubi & quando esset natum, in quibus condebatur: sic Plautus in Rudente; *Se scelere fieri nolunt nobiles.* Livius L. XXXI. *Bello nobile nomen.*

4 *Totis . . . traxit naribus.*) I. e. Quantum poterat attraxit: videtur hoc verbum aviditatem aliquam significare, etiam si non addidisset Poëta *to* ávida: sic Horatius Epod. XIV.

Pocula Lethæos ut si ducentis somnos

Arente fauce traxerim.

O suavis ánima! quale in te dicam bonum
Antehac fuisse; tales quum sint reliquiæ?

Hoc quó pertíneat, dicet, qui me moverit.

FABVLA II.

Panthéra & Pastóres.

SOLET a despectis par referri gratia.
Panthéra imprudens olim in fóveam décidit.
Vidére agrestes: alii fustes congerunt;

5 O suavis anima.) I. e. Amphora, veluti anima mihi summis in deliciis, tam suavem spirans odorem: adloquitur amphoram, eamque anus vinolenta rerum omnium carissimam dicens, & delictum suum faciens, blandé suavem animam adpellat; scilicet ut Cicero carissimis suis scribens, *Vos animam meam*, inquit: sic devota vino vetula amphoram amplexa, & suave olens animula, inquit: quales delicias, quale in te bonum antehac fuisse dicam, in qua tales sunt reliquiæ, & sæces ipsæ quendam odorem spirant! vide elegantem locum de muliere vini avida apud Plautum Curcul. I. II. Valchius aliter hunc interpretatur locum, quem sis confer.

6 Tales . . . reliquiæ?) I. e. Vini residuum, sæces: ex Proverbio, quo boni vini etiam sæces bonæ esse perhibentur.

7 Hoc quo pertíneat.) Senectutem suam consolatur Phædrus: vult ex hoc ultimæ senectutis, quæ est quasi sæx vitæ opusculo Fabularum posse colligi, qualis fuerit integra adhuc ætate; qui, quum annis, ut erat, jam provectus, tam elegantè scriberet: meminit & alibi senectutis suæ, ut infra Lib. IV. Fab. XXV., & Lib. V. Fab. X. hæc Fabula, ut Heinssio videtur, referri debet ad servitutem Phædri, & libertatis recordationem.

1 A despectis) I. e. Ab iis, qui despecti, & læsi fuerant.

2 Imprudens.) I. e. Improvida, non providens, & non circumspecta.

In fossam.) I. e. In fossam est delapsa. Camerarius, quem vide Fab. CCXXVI.

3 Agrestes.) Ita solent pro rusticis ponere Poëtæ & Historici.

Alii ónerant saxis; quidam contrá miseriti, †
 Perituræ quippe, quamvis nemo læderet, 5
 Misère panem, ut sustinèret spiritum.
 Nox insecuta est, abeunt secúri domum,
 Quasi inventuri mortuam postridié.
 At illa vires ut refécit languidas,
 Velóci saltu fóvea sese liberat, 10
 Et in cubile concito properat gradu.
 Paucis diebus interpositis, provolat,
 Pecus trucidat, ipsos pastóres necat,
 Et cuncta vastans, sævit irato impetu.
 Tùm sibi timentes, qui feræ pepercerant, 15
 Damnum haud recúsant, tantùm pro vitâ rogant.

Congerunt.) I. e. In eam verberantes.

4 *Alii.*) In dimetiendo hoc versu *Alii* est pro *alii*: ut sæpe *ingeni* pro *ingenii*, aliaque hujusmodi: nulla enim alia ratio ne constabit.

Onerant.) I. e. Petunt, mullant lapidibus: sic est *onerare injuriis*, apud Terentium Andr. quod Lusitanicè ita sonat. *Carregar, encher de injurias*: sic Plautus Amphit. I. I. *Onerandus est pugnis probè.*

5 *Perituræ quippe.*) I. e. Vtpote quæ in illa fóvea periturâ fuisset, quamvis nemo illam læderet.

6 *Misère.*) I. e. Objecere illi panem.

Sustineret spiritum.) I. e. Servaret vitam: nam *sustinere* est tenere ne scilicet discedat: sic Livius. *Milites fluviatili pisce & herbis sustinebantur.*

8 *Quasi inventuri.*) Sic Terentius Andr. I. I. 121. *Itatum*

discedo ab illo, ut qui se filiam neget daturum: notanda Latialis sermonis proprietates.

9 *Refecit*) Pane scilicet, & quiete: sic *reficere jumenta* dixit Nepos Eumene cap. IX.

10 *Fovea.*) I. e. A. fovea. Ellipsis: in foveis feræ capiebantur: supra Lib. I. *Fabulæ XVII.*

Sese liberat.) Eleganter. I. e. Exsillit a fovea saltu.

11 *Concito gradu.*) I. e. Festino, celeri gradu: sic Apulejus IV. *Asin. Concito gradu festinat.*

12 *Provolat.*) A cubili scilicet; sen procul extra cubile citissime fertur: vox communis hominibus, feris, & avibus.

15 *Qui, &c.*) Scilicet, Illi pastores, qui antea: &c.

16 *Damnum.*) I. e. Ne cædem suo etiam gregi inferat.

Haud recusant.) I. e. Æquo animo subeunt, majoris boni gratia. C. Nepos in Epami-

At illa: Memini qui me saxo petierint.
 Qui panem dederint; vos timere absistite.
 Illis revertor hostis, qui me læserant.

FABVLA III.

Simii Caput.

PENDERE ad Lanium quidam vidit Simium

nonda, cap. VIII. *Neque requisivit, quominus legis pœnam subiret: ergo hi calamitatem in pecore amittendo non deprecantur, sed suæ tamen vitæ ut parcat rogant.*

Pro vita rogant.) Ne eos occidat. Rogare cum casu auferendi, non adeo prisæ ac puræ Latinitatis scriptoribus frequens construitur, quippe qui *rogare aliquem aliquid* dicere solent: sed Cicero sic in Orat. de reditu suo ad Quir. c. VII. *Denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit:* sic etiam Suetonius August. XIII. *Pro vita rogantes:* quamplurima alia ejusdem Latinitatis exempla nobis suppeditat Burmannus.

17 *Illā.)* Scilicet, Panthéra dicit.

Memini.) Subintellige, *illorum; eorum.*

Qui me saxo, &c.) Quum essem in sœvea.

18 *Vos.)* I. e. Qui panem dedistis.

Absistite.) I. e. Desistite: sic optimi auctores. Virgilius Æn. VIII. 403.

..... *Absiste precando Viribus indubitare tuis.*

Idem L. VI. *Absiste moveri.* Columella XII. 19. *Nec absistat id facere.*

19 *Revertor hostis.)* I. e. Revertor ad eos hostiliter persequendos, qui in me congressere fustes & lapides.

1 *Pendere.)* I. e. Venalem esse: nam *Pendere* propriè de rebus venalibus. Suetonius in Claudio c. IX. *Quum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege Prædatoria venalis pendit sub edicto Præfectorum.*

Ad Lanium.) I. e. Apud la-

Inter reliquas merces atque opsonia.

Quæsit, quidnam saperet? tum Lanius jocans:

Quale, inquit, caput est, talis præstatur sapor.

Ridiculè magis hoc dictum, quàm verè æstimo,

Quando, & formosos sæpè inveni pessimos;

Et turpi facie multos cognovi optimos.

nium: sic Plautus ad forum, pro apud forum: ad exercitum, pro apud exercitum: ita Cicero Ver.

II. Reperi ex his quasi decem

fiseos ad senatorem illum relictos esse: sic quoque Ad refer-

tur ad locum Vellei II. 60. 4.

Depositum a C. Cæsare ad eadem

Opis: ita, ad præterem solvere:

item ad alias res.

2 *Inter reliquas merces.*) I.

e. Inter res venales, & ea quæ

ad panem, & viam in mensa

adponuntur: si versus ratio ha-

beat, quatuor syllabarum erit

hæc vox: sed Heinsius bono sen-

su, & meliore versu scribit *reli-*

ctas: ideò alii scribunt non ma-

lè: *relicuas*: aliquæ scilicet mer-

ces jam erant venditæ, reman-

serat cum aliis Simius.

3 *Quidnam saperet?*) Rectè.

Scilicet, Simius quemnam in se

saporem haberet? sic Cato de

R. R. Vinum posito sub die, postridie mane gustato, si id sapiet, quod in dolio est, non durabit.

4 *Quale . . . caput.*) I. e. Qualis species externa, seu facies est.

Talis præstatur sapor.) Scilicet, Promitto talem esse sapor, quale est caput; I. e., insulsum, sicut insulsum & ridiculum est caput.

5 *Ridiculè.*) In gratiam *Æsopi* hoc dicitur.

Æstimo.) I. e. Existimo, puto: absolute: *æstimo* pro *existimo*, sicuti *dixi* apud Terentium pro *dixisti*.

7 *Optimos.*) Exemplo est idem *Æsopus*, quem vultu & corpore suis deformem accepimus; & moribus tamen, ac virtute adeo excellit.

FABVLA IV.

Æsopus & Petulans.

SUCCESSVS ad perniciem multos devocat.
 Æsopo quidam petulans lapidem impegerat.
 Tantò, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,
 Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
 Sed, undè accipere possis, monstrabo tibi. 5
 Venit ecce dives, & potens: huic similiter
 Impinge lapidem, & dignum accipies præmium,

1 *Successus.*) Sensus: successu facinoris cuiusdam, quod quidam suscipit, multos in discrimen vitæ vocat, dum hac ratione ad aliud hujuscemodi factum ineundum inflammantur, spe felicioris, ejusque prioris successus: sed quum superiorem pœnam subterfugerunt, fieri solet, ut iterata culpa, duplicatam & factis dignam pœnam accipiant: *ex Walchio.*

Devocat.) I. e. Pellicit, ac trahit sensim, quoniam a bonis est descensus veluti ad mala.

2 *Petulans.*) Vsurpatur de eo, qui gaudet lædere alios: idque sine causa.

3 *Tanto . . . melior.*) Est enim hæc formula laudandi quidem, atque adprobandi quidpiam elliptica apud veteres; contra autem, *Tantò nequior*: at tamen nec malè sanus sensus

erit, quum per Ironiam exponas: sic Plautus in *Persa*:

*Nunc jam omnes sycophantias
 instruxi & comparavi,
 Quo pacto ab lenone auferam
 hoc argentum.*

Tanto melior.

sic etiam in *Truculento*: confersis Terentium in *Adelphis IV. I.* & ibi Donatum.

Inquit) Scilicet, *Æsopus.*

Assem.) Intellige nummum æneum.

4 *Sic prosecutus.*) Per Ellipsin. Scilicet, *sic cum prosecutus* verbis; seu, sic pergens loqui: locutio Ciceroniana.

Plus non habeo.) Scilicet, quod donare possim tibi.

5 *Accipere possis.*) Scilicet, Majus præmium.

6 *Potens.*) I. e. Qui potest melius quam ego dare.

Persuasus ille, fecit, quod monitus fuit:
Sed spes fefellit impudentem audaciam,
Comprehensus namque pœnas persolvit cruce.

10

FABVLA V.

Musca & Mulla.

MVSCA in temône sedit, & Mulam increpans,
Quám tarda es, inquit: non vis citiùs progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sellâ qui primâ sedens,

5

8 *Persuasus ille.*) I. e. Sperans se majus aliquid accepturum.

Fecit quod, &c.) I. e. Lapidem diviti impexit.

9 *Impudentem audaciam.*) I. e. Audacem impudenter talia molitum: sic Terentius Heaut, II. III.

O hominis impudentem audaciam!

10 *Cruce.*) I. e. Supplicio crucis, quo tunc per summam pœnam, & ignominiam multabantur malefici, hoc supplicii genus in usu quidem fuit ad tempora Constantini Imperatoris.

1 *Musca, &c.*) Faernus in Fabula de Musca & Quadrigris p. 89.

Musca adcolans temóni earum incederat.

Mullum.) Scilicet, Currum vehementem: nam mullarum usus quondam fuit in vehiculis celeberrimus.

2 *Non vis.*) Notum schema interrogando jubere: sic Terentius Eun- V. I.

Non tu istuc dictura aperte es quicquid est?

ita hic: *Non vis citiùs progredi?*

3 *Dolone.*) Eleganter. I. e. Aculeo, quem Musca superbe, & per fastum adpellat dolonem: nam *dolon*, seu *dolo*, est propriè baculus, qui ense vel pugionem, seu cuspidem ferream regit in ipso baculo reconditum; & solet Musca suum aculeum sic abdere. Virgilius Æn. VII. 664.

Pila manu, sævosque gerunt in bella dolones.

ubi vide Interpretes.

4 *Illâ.*) Scilicet, Mulla.

5 *Istum.*) Aurigam, scilicet.

Sellâ qui primâ, &c.) Aurigam intelligit. *Prima sella* est scamnum ejus proximum, in

E

Iugum flagello temperat lento meum,
Et lora frenis continet spumantibus.

Quapropter aufer frivolum insolentiam:

Namque, ubi strigandum est, & ubi currendum, scio.

*Hæc deridere fabulâ meritis potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.*

10

quo propriè sedes sunt aurigarum.

6 *Temperat.*) I. e. Regit, moderatur, ne tardiùs, aut celerius incedam, quàm oportet, sic *temperare ora frenis* dixit Horatius.

Lento.) I. e. Flexibili, facto quippe ex loris, sic *verbera lenta* apud Virgilium; *lenta salix*, *lentum vimen*, & *lentum flagellum*, quod hic habemus.

7 *Et lora frenis.*) Walchius legit: *Atque ora frenis*: nam sensus ei multò sanior videtur hujus lectionis, quàm illius, quæ & *lora frenis* habet.

Continet.) I. e. Retinet tam validè lora, neque cohibet ne celerius incedam, ut dum contra nitor, emittam spumas, quibus frena consperguntur, vult reddere rationem, quare non possit celerius incedere.

Spumantibus.) I. e. Quibus sputum profluens ex ore meo inest: imitatione Virgiliana, qui sic *Æn.* IV.

*Stat sonipes, ac frena ferox
spumantia mandit.*

8 *Aufer.*) I. e. Omittite insolentiam: sic Terentius *Phorm.* V. 6.

*Quin tu hinc pollicitationes
aufer.*

& Virgilius *Æn.* V.

..... *Spumantiaque addit
Frena feris.*

Frivolum insolentiam.) F. e. Vanam; inopta ista, & inania verba, quibus insolenter me lacessis; & quibus nullæ subsunt vires.

9 *Strigandum est.*) Quando oporteat morari: *strigare* enim est interquiescere, diciturque propriè de equis aut mulis in strigam collocatis.

11 *Sine virtute.*) I. e. Sine viribus, sine fortitudine, atque animo ad exsequendum, quod minatur. Synecdoche: vide supra *Libr.* I. *Fab.* II.

FABVLA VI.

Canis & Lupus.

QVAM dulcis sit libertas, breviter proloquar.

Canis perpasto macie confectus. Lupus
Fortè occurrit: salutantes dein invicem,
Vt restiterunt: Vnde sic, quæso, nites?
Aut quo, cibo fecisti tantum corporis?

5

1 *Breviter proloquar.*) I. e. Paucis ostendam, explicabo, hoc verbum compositum simplicis vim habet, nec opus est, ut præpositio observetur, prout sæpe fieri solet apud priscos auctores: sic *infractus* idem quod simplex *fractus*. Cicero ad Quirites post reditum C. VIII. *Non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato: sic quoque infrenatus, indictus, inhumatus, insuetus, impotens; &c. ex Walchio.*

2 *Perpasto.*) I. e. Vade pingui.

Macie confectus.) I. e. Cuius vires macie planè diminutæ erant: ita Cicero in Catil. I. *Fame, frigore, inopia rerum confectum dixit.*

3 *Salutantes.*) Absolutè, pro se salutantes: ut in illo Terent. in Heaut. XI. III. *Sine saltem salutare.*

4 *Vt restiterunt.*) I. e. Postquam restiterunt, sistentes gradum, unde, ait Lupus ad

canem: unde sic, quæso, nites, id est, tam pinguis es.

Vnde sic, &c.) Verba lupi ad Canem.

Nites?) Eos propriè significat, quorum pellis ex sagina distenta splendet: locus hic eleganter formatus ex illo parasiti Gnathonis apud Terentium Eun. I. II.

Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis? hinc equi nitidi apud Virgilium, i. e. pinguedine distenti, Nepos Eunene V. *Iumenta nitida dixit, i. e. bene habita: sic Iuvenca nitens apud Ovid. Metam. L. I. 610. hausit ex Virgilio, qui sic Æn. III.*

..... *superoque nitentem*
Cælicolùm regi mactabam in littore taurum.

5 *Fecisti tantum corporis?*) I. e. Obesum te reddidisti: contrarium est, *corpus amittere, i. e. macrum fieri.* Locutio ex more Græcorum: sic Cicero in Verrem, dixit, *Maximam uno anno pecuniam facere posset.*

Ego, qui sum longé fortior, pereo fame.
 Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
 Præstare domino si par officium potes.
 Quod? inquit illi. Custos ut sis liminis,
 A furibus tuearis & noctu domum. 10
 Ego verò sum paratus: nunc patior nives
 Imbresque, in silvis asperam vitam trahens.
 Quantò est facilius mihi sub tecto vivere,
 Et otiosum largo satiari cibo?
 Veni ergo mecum. Dum procedunt, adspicit 15

7 *Canis simpliciter.*) Scilicet, ait apertè, absque dissimulatione: sic Cicero IV. Acad. *Cum simplici homine simpliciter agerem.*

Eadem est, &c.) I. e. Tibi erit fortuna similis, seu tu potes esse in eadem conditione, & felicitate.

8 *Præstare . . . par officium potes.)* I. e. Officium æquale illi, quod a me præstatur.

9 *Quod?)* I. e. Quodnam officium præstare debeo domino, inquit Lupus.

Inquit ille.) I. e. Canis respondeat, ut custos sis, &c.

Liminis.) I. e. Ianuæ domus: per Synecdochen.

10 *Noctu.)* I. e. Tempore noctis: ablativus antiquus. Ordo verborum paulo hic turbatior, & est Synchysis: sic autem se habet: *Vt sis custos liminis, & tuearis domum noctu a furibus.*

11 *Verò.)* Particula elegantissima, quæ hic promptitudinem indicat: sic Q. Curt. V. IX. *Nos vero pretiosissimam*

vestem induli, regem in aciem sequamur.

Patior nives.) Metonymicè. I. e. Expositus sum, & nudus ad omnes cœli injurias, & duram admodum vitam ago. Florus Poëta.

Scythicas pati pruinas. & Cicero II. Catil. cap. X. *Pruinas ac nives perferre:* quod idem est ac ipsius Ciceronis pro Rabir. Post. cap. XV. *Vim frigorum sustinere:* sic Virgilius Æn. III.

Quam vitam in silvis inter deserta ferarum

Lustra, domosque traho.

12 *Vitam trahens.)* Virgiliana phrasis, ut in antecedenti animadversione jam observatum exstat: confer Librum I. Fab. XXI.

13 *Sub tecto.)* I. e. In domo.

Otiosum.) I. e. Absque eo quod quidquam laborem.

15 *Veni ergo.)* Inquit Canis; & dum simul per viam procedunt.

Lupus a catena collum detritum canis.
 Vnde hoc, amice? nihil est. Dic, quæso, tamen.
 Quia videor acer, adligant me interdium.
 Luce ut quiescam, & vigilem; nox quum venerit:
 Crepusculo solutus, quâ visum est, vagor. 20
 Adfertur ultro panis; de mensa sua

16 *Collum detritum.*) I. e. Scarificatum, ac signa habens catenæ, quam ad collum gestabat; quare interrogat Lupus: *Vnde hoc, amice?* i. e. Vnde hæc signa in collo? propriè de Cane. Seneca Hippol. vers. 33.

Et pugnaces tendunt Cressæ Fortia trito vincula collo.

17 *Nihil est.*) Respondet & loquitur Canis. Ne attendas quodcumque vides: formula solemnis est illorum, qui præcitant sermonem de re sibi parum grata, & respondere nolunt: imitatur Terentium Andr. II. VI. *Si Quidnam est? Da. Puerile est. Si Quid est! Da. Nihil. Si Quin dic, quid est? & Phormione V. VIII.*

Ph. Abi: tange: si non lotus friget, me eneca.

Chr. Nihil est.

Dic quæso.) Lupus loquitur, cui mox respondet Canis: *Quia videor acer, &c.*

Tamen.) Elegantissimè, & Latinissimè Terentius pro eo usurpavit *quin* in simili loco, qui est Andr. II. VI. sic idem Andr. V. III. *P. Pater, licetne pauca? S. Quid dices mihi? Ch. Tamen, Simo, audi: conser sis eundem in Heaut. I. I.*

18 *Videor acer.*) Eleganter sese habet tola oratio I. e. Videor esse vehementior, ferocior. Lib. II. Fab. III. dixerat, *Canis vehemens*, i. e. rabidus: sed quid *acer* & *vehemens* differant, docet Vavassor in Libello. *De vi & usu quorundam verborum:* ubi *acer* idem dicit esse quod *asperior*, *intractatus*, *ferocior*, *inquietus*: vide Ciceronem pro Rosc. Amerina. cap. XX. sic Cato de R. R. cap. CXXIV. *Canes interdium clausos esse oportet, ut noctu acriores, & vigilantiores sint.*

19 *Luce.*) I. e. Dum sol lucet, die.

20 *Crepusculo.*) I. e. Ad solis occasum in vespere: nam crepusculum est lux dubia, quæ fit ante Solis ortum & occasum.

Quâ.) Scilicet, *Via* per Ellipsim: i. e. per quem locum: errant enim Grammatici quidam, qui has voculas *hoc*, *illac*, *istac*, *qua* inter adverbia numerant, quum semper subaudiatur substantivum *via*.

21 *Ultro.*) I. e. Me non rogante.

Dat ossa dominus: frustra jactat familia,
 Et, quod fastidit quisque, pulmentarium:
 Sic sine labore venter implétur meus.
 Age, si quò abire est animus, est licentia?
 Non planè est, inquit. Fruere quæ laudas, Canis.
 Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

25

22 *Frustra.*) Scilicet, Ed-
 illi conjunctumque.

Iactat.) I. e. iactit, objicit.
Mittit est Fab. II.

Familia.) In proprio sensu
 sumitur de coetu servorum in
 domo.

23 *Quod fastidit quisque.*)
 I. e. Quod sibi non sapit, aut
 ultra comedere non vult: hinc
 Lib. IV. Fab. XVII. Casum
 querelæ ad Jovem orantium:

*Vt sese eripiat hominum con-
 tumellis,*

*Furfuribus sibi conspersum
 qui panem darent.*

Pulmentarium.) Quicquid
 ad panem datur: propriè tamen
 dicitur puls vel citus in mo-
 dum pulvis factus: vide Varro-
 nem de L. L. & Guyetum ad
 Terentium Adelph. III. III.

25 *Age, &c.*) Sed quæso
 dicas, inquit Lupus, si venit
 tibi in animum abire in aliquem
 locum.

Est licentia?) Licitumne ti-

bi est? verba sunt Lupi ad Ca-
 nem, quibus Canis respondet
 mox: *Non planè est.*

26 *Non planè est.*) Non li-
 cet, respondet Canis.

*Fruere, quæ laudas, Ca-
 nis.*) I. e. Fruere his quidem
 bonis quæ laudas: sunt autem
 hæc Lupi verba: est vox re-
 mittendi alteri, quod ipsi non
 desideramus, quasi dicat: Habe
 tua bona sine rivali: sic ferè
 Cæsar Augustus Pollioni apud
 Senecam de Ira Lib. III. cap.
 XXIII. *Fruere, inquit, mi
 Pollio, fruere.*

27 *Regnare nolo.*) I. e. Eti-
 amsi possim, nolim regnare:
 seu potius, statum tuum, ac
 conditionem felicem, quam lau-
 das, non desidero, ut sic li-
 bertatem meam amitterem.

Liber ut non sim.) I. e.
 Hac lege & conditione ut non
 sim liber mihi; ut libertatem
 amittam.

FABVLA VII.

Frater & Soror.

PRÆCEPTO mōnitus, sæpè te considera.
 Habébat quidam filiam turpissimam,
 Itidemque insigni & pulchrâ facie filium.
 Hi, speculum in cathedrâ matris ut positum fuit,
 Pueriliter ludentes, fortè inspéxerant.
 Hic se formósum jaetat: illa irascitur,
 Nec gloriantis sustinet fratris jocos,

1 *Præcepto mōnitus.*) I. e. Ubi bona præcepta accipisti, ubi mōnitus es, secundum mōnita hujus præcepti.

Te considera.) I. e. Descende in te; examina te; inspecte, inspice te; expendè quid agas, cogita ut vivas: propriè usurpat, de contemplatione, quæ sit oculis.

2 *Turpissimam.*) Turpitudine, ut honestas, propriè quidem de animo hominis; sæpè tamen etiam de corporis forma dicitur, ex qua interdum cognoscitur animus quamvis admodum fallaci iudicio: sic infra Lib. IV. Fab. IV, *turpissimam* vocat, quam mox *deformem*.

3 *Pulchrâ facie.*) I. e. Honestâ; nam opponitur turpissimæ. Terentius Eun. III. II. 21.

Ita me Dii amant, honestus est.

4 *Hi, &c.*) Quum luderent

invicem pueriliter circum cathedrâ Matris, fortè inspéxerant speculum, prout positum fuerat in illâ.

In cathedra.) Sellam gestatoriam intelligit, quâ vehobantur mulieres in publico; vel ubi sedentes inter se colloquebantur.

Ut positum.) I. e. Postquam positum fuit: Vel casu quidem, vel quia femine sollicitæ de sermo, speculum ferè semper, & ita in ipais etiam cathedris, secum deferebant, ut subinde possent consulere; & siquid minus concianè se haberet, emendare.

5 *Hic.*) Scilicet, Filius.

Illa.) Scilicet, Filla.

7 *Sustinet.*) I. e. Sustinere, vel ferre potest: ita *sustinere hominum sermones* dixit Cicero in *epist. ad Cassium*.

Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
 Ergo ad patrem cucurrit, læsura invicem,
 Magnaque invidia criminatur filium,
 Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
 Amplexus utrumque ille, & carpens oscula,
 Dulcemque in ambos caritatem partiens:

10

8 *Accipiens.*) I. e. Sinistrè omnia interpretans ad sui contemtum: sic Terentius Adolph. IV. III. 15.

Ad contumeliam omnia accipiunt magis.

Ita & Enn. I. I.

Quid enim?) Potest ita suppleri: *Qui enim potius accipere in contumeliam?* seu: *Quid enim aliud solent mulieres? Quid enim aliter faceret soror?* Locutus Elliptica: sic Cicero V. Epist. XV. Famil. *Quid enim? ad amicos ne confugiam? quam multi sunt: idem II. De Finibus XXVIII. Quid enim? summus dolor plures dies manere non potest?*

9 *Læsura invicem.*) I. e. Vt vicissim fratrem læderet sua criminatione.

10 *Magnaque invidia.*) Ex illius venustate, ob quam ab eo despiciebatur.

Criminatur.) I. e. Odiosa criminatione defert fratrem suum.

Filium.) I. e. Fratrem suum, filium Patris, apud quem eum criminatur.

11 *Vir notus.*) I. e. Quum vir, seu masculus sit natus, quum virilis sit sexus, seu, quum e genere virorum sit,

Græca ratio loquendi, quæ tamen & Latinis frequens: sic Cicero Tusc. Q. III. *Mortalis natus, conditionem postulas immortalium.*

Rem feminarum.) I. e. Speculum, supellectilem muliebrem: id, quod ad feminas pertinet: imitatus Terentium videtur, qui sic loquitur in Heaut. XI. III. *Offendimus ipsam nulla mala re esse expolitam muliebri.*

12 *Ille.*) I. e. Pater.

Carpens oscula.) I. e. Oscula utrisque, i. e. filię, & filio impertiens: fervorem amoris notat: sic Ovidius Epist. II. Heroid.

..... *non oscula frigida carpsi.*

13 *Dulcemque in ambos, &c.*)

I. e. Equalem in ambobus paternum amorem exhibens: sic infra Lib. III. Fab. XV. *Dulcem benevolentiam:* dicitur hic respectu liberorum, qui dulces passim vocantur: sic Lucretius Lib. III.

Nec dulces occurrent oscula nati.

Virgilius Æn. IV.

Nec dulces natos, Veneris nec præmia natis.

Horatius Epod. II.

Quotidie, inquit, speculo vos uti volo.
 Tu formam ne corrumpas nequitiae malis:
 Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

15

FABVLA VIII.

Sócrates ad Amicos.

VVLGARE amici nomen, sed rara est fides.
 Quum parvas aedes sibi fundasset Sócrates,
 (Cujus non fugio mortem, si famam adsequar;

Domum atque dulces liberos.
Partiens.) Tribuens cuique
 partem amoris sui: eleganter.

15 *Tu.)* Scilicet, fili: distributive, respicit primò filium.

16 *Tu.)* Scilicet, ó filia, tu hoc agas, ut iis moribus esse cures, qui sua pulcritudine, & bonitate faciei turpitudinem vincant, eamque omnes ob præstantes tuos mores dissimulent.

Vincas.) I. e. Hoc agas, ut ne adpareat, ne conspiciatur ea turpitude, præ morum pulcritudine: sic Curtius L. VIII. c. III. *Vicit gratiam meriti aceleris atrocitas.*

1 *Vulgare amici nomen.)* I. e. Vulgaris res est habere amicum, sed rarissima invenire fidelem: sic Cicero de Amicitia, cap. XVIII. *Firmamentum autem stabilitatis constan-*

tiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides est: nihil enim stabile est, quod infidum.

2 *Quum.)* Hæc historia est, non fabula; ut & sequens narratio.

Sibi.) I. e. Snos & privatos in usus: sic Terentius in Heaut. II. III. *Ornari sibi dixit.*

Fundasset.) I. e. Condidisset: ita Virgilius Æn. VIII. 478.

Haud procul hinc saxo incalitur fundata vetusto

Urbis Agyllinæ sedes.

Socrates.) Philosophus Atheniensis, magni nominis.

3 *Non fugio mortem.)* I. e. Non recuso subire mortem Socratis, qua licet innocens multatus est, hausta cicuta, dum eandem, atque ille, gloriam adsequar. De Socrate confer: Ciceronem. Q. T. Lib. I. &

Et cedo invidiæ, dummodo absolvar cinis.)

5

E populo sic nescio quis, ut fieri solet :

Quæso, tam angustam, talis vir, ponis domum ?

Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam !

de Divinat. Lib. I., Diogen. Laert. II., *Ælian. V. H. I. 16.*, &c.

4 *Et cedo invidiæ.*) I. e. Non curo pati, ut ille, invidiorum in me ausus: seu, facile patior me circumveniri, & vel damnari atque occidi ab invidis, ut ille, dummodo post mortem judicet innoens fuisse. *Invidia* hic est pro invidis; ut *Epil. Lib. II. Livor*, pro lividis.

Si livor obrectare curam voluerit.

Absolvar cinis.) I. e. Postquam cinis factus fuero; post mortem meam; innoens judicet: alludit ad morem antiquum, quo cadavera rogo injecta in cineres redigebantur: sic *Ovidius II. Amor.*

*Imagus cinis odios fratribus
Hector errat.*

vide *Kitchmann. de Fenesib. L. I. c. I.*

5 *E populo sic nescio quis.*) Formula loquentium de ignotis: sic *Cicero de Amicitia. Qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus*

sic etiam *Virgilius Ecl. III.*

*Nescio, quis teneros oculos
miki fuscinat agnos*

sic *Gellius XI. IX. Unus e populo idem quod infra III. 19. Quidam e turba.*

Vt fieri solet.) Inter ædificandum curiosè sciscitatus est, ut fieri solet, quum novum, aliquod fabricari condiscitur: nam de structura nova quilibet vult ferre censuram: notum est lippis & tonsoribus nostrum de hac re *Lusitanicum Proverbum.*

6 *Tam angustam.*) I. e. Tam parvam, tam exiguam.

Talis vir.) I. e. Tu qui es vir tantæ virtutis, & famæ: in laudem *Socratis* dicitur: sic *Terentius Eun. I. II. 80.*

..... *Et istam nunc times
Quæ abducta est, ne illum talem præcipiat tibi.*

Cicero Epist. Fam. L. XVI. XXI. ad Tiroem. Quare de operam, ut hunc talem: tam jucundum, tam excellentem virum videas. *Sulla* apud *Sallustium B. I. ad Boechum Regem. Rex Boecche, magna lætitia nobis est, quum te, talem virum dii monuere, uti aliquando pacem quam bellum, mallet: confet eundem Sallustium de Mario B. I. LXIII. & Cornélium Nepotem in Alcibiad. VI.*

7 *Inquit.*) Respondet nempe *Socrates.*

Veris..... amicis.)
Tam rari enim sunt veri amici,

FABVLA IX.

Pullus ad Margaritam.

IN sterquilinio pullus gallinaceus
 Dum quærit escam, margaritam repperit.
 Iaces indigno, quanta res, inquit, loco!
 O Si quis pretii cupidus vidisset tui!
 Olim redisses ad splendorem maximum. 5
 Ego qui te inveni, potior cui multò est cibus?

ut ne angustam quidem re-
 plere domum possint: rectè
 Plutarchus in Apopht. dixit,
 nullas divitias fidelibus amicis
 equiparari posse.

3 *Iaces.*) I. e. Neglecta,
 & contempta: venustè hoc ex-
 pressit, & longè quidem ve-
 mustiùs, quàm si in tertia perso-
 na dixisset. *Iacet indigno quan-
 ta res loco!* eodem modo se
 res habet hujus Libri Fab.
 VIII. v. 6.

*Quæso tam angustam talis
 vir penis domum?*

& hinc pulo Lib. I. Fabula
 VII. legendum fuisse.

O *quanta species, inquit,
 cerebrum non habes?*

q. d. Tu non habes cerebrum,
 quum tanta sis species?

quod vulpis ibi loquentis ad-
 mirationem auget: de his vide
 sis quæ nos docet Hoogstrata-
 nus: sic Curtius Lib. VII cap.
 XIII. *Iacebant totis campis
 opes regiae.*

Quanta res.) I. e. Quàm
 pretiosa res; quanti pretii &
 dignationis res jaces despecta
 inter sordes! Sic Suetonius in
 Cæsar. c. XXX. *Tantis rebus
 gestis C. Cæsar condemnatus
 essem.*

5 *Olim redisses.*) I. e. Iam-
 dudum facta esses, ut priùs,
 splendida, quæ nunc fimo con-
 spurcata jaces tanto tempore.

6 *Ego qui te inveni.*) Ora-
 tio est cum admiratione inter-
 rogantis. *Qui ego te inveni?
 Qui factum est, ut ego te in-
 venerim, cui multò jucundior
 est cibus: nam qui est quomo-
 do: ut Lib. I. Fab. I.*

*Qui possum, quæso, facere
 quod quereris, tupe?*

q. d. Frustra te inveni: nam
 nec ego tibi possum, nec tu
 mihi potes aliquid prodesse.

Potior.) I. e. Mellior: sic
 Cicero. *Mors potior servitute.*

Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

FABVLA X.

Apes & Fuci, Vespâ Iudice.

APES in altâ quercu fecerant favos :
 Hos Fuci inertes esse dicébant suos.
 Lis ad forum deducta est, Vespâ Iudice :
 Quæ genus utrumque nosset quum pulcherrimè,

7 *Potes.*) Elliptica Syntaxis: integrè sic strui debuisset: *Nec ego prodesse possum tibi, nec tu potes mihi:* sic Terentius Heaut. I. I. *Nec tum illum satis noveras, nec te ille:* confer Plautum in Aulul. II. II. *Tu me & ego te qualis sis scio.*

6 *Hoc illis narro.*) I. e. Hoc illis scribo, *Hoc illis dictum est,* ut supra.

Qui me non intelligunt.) I. e. Qui nesciunt quid lateat sub his meis fabulis; nec iidem rectè uti noverunt: quoniam sunt instar galli hujus, cui nihil profuit reperta margarita.

1 *Apes.*) Eleganter de apibus Virgilius Georg. Lib. IV. 42.

*Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris
 Sub terra fodere larem:
 penitusque repertæ
 Pumicibusque cavis, ex-
 sæque arboris antro.*

Vide Columellam L. IX. c. XV.

Favos.) I. e. Apum domos, seu cellulas.

2 *Fuci inertes.*) Propriè; *artis ejus imperiti;* i. e. artem non habentes faciendi favos: hoc vult, non potuisse ipsos facere sibi, propterea mendacio quærere voluisse alienos. *Fucos* vocat ignavos Virgilius Lib. Georg. IV. v. 168. ubi de apibus.

Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.

sic Plinius cap. IX. *Tardantes (fucos) sine clementia puniunt.* Idem cap. XVII. *Certum est ab apibus fucos interfici,* Varro, *Insectantes a se ejiciunt fucos.*

3 *Ad forum.*) I. e. Ad judicium, ad Iudicem: ita Cicero pro Flacco.

Vespâ iudice.) I. e. Causam cognoscente.

4 *Genus utrumque.*) I. e. Naturam Apum, & Fucorum. *Pulcherrimè.*) I. e. Opti-

Legem duabus hanc proposuit partibus: 6
 Non inconveniens corpus, & par est color,
 In dubium planè res ut mèritò vénerit:
 Sed ne religio peccet imprudens mea,
 Alveos accipite, & ceris opus infundite;
 Vt ex sapore mellis, & formâ favi, 10
 De quibz nunc agitur, auctor horum adpareat.

mè. Phædrus extremo hoc opere.

Hoc cur, Philete, scripserim, pulchrè vides.

& Lib. IV. Fab. XX.

Quid judicare cogitet livor, modo

Licet dissimulet, pulchrè tamen intelligo.

Ibid. Fab. XXV.

Dum sanitas constabit, pulchrè meminere.

5 *Legem.*) I. e. Conditionem, uti mox adpellat.

Duabus partibus.) I. e. Apibus, & Fucis: ita propriè, qui litigant inter se, vocantur: ita *agere has aut illas partes* apud Ciceronem & alios legimus.

6 *Non inconveniens corpus.*) I. e. *Non malè convenit*, si externam speciem spectes; nam corpore convenitis, & similes estis colore; adeò ut mèritò dubitetur, uter fecere favos.

7 *Planè.*) I. e. Omnino: vult significare, omnino ac planè fuisse causam justæ dubitationis, propter illam similitudinem.

8 *Religio, &c.*) I. e. Fides, & Justitia, quam jurejurando, & Deorum reverentia

servare debeo, imprudenter segerat in judicio, Iudicius religio tribuitur, propter jusjurandum, quo tenebantur: vide Fab. X.

Peccet.) I. e. In judicando errorem committat.

Imprudens.) I. e. Per imprudentiam, si minùs omnia providero: sic Terentius He-cyr. V. IV., & alii.

9 *Alveos.*) I. e. Domicilia apum.

Ceris.) I. e. Cellis ex cera formatis, mellis receptaculis.

Opus.) I. e. Mel. sic Virgilius IV. Georg. de rege apum loquens: *Ille operum custos. Varro de R. R. c. XVI. Intus opus faciunt, quod dulcissimum est, & diis, & hominibus est acceptum.*

11 *De quibz, &c.*) I. e. Auctor horum favorum, de quibus nunc agitur: vide Brissonium.

Auctor.) Ita debet scribi hoc vocabulum, non *autor*, vel *author*, ut plerique faciunt: diciturque *Auctor* propriè is, qui primus aliquid invenit, instituit, & fecit: qui conditor, &

Fuci recusant: Apibus conditio placet.

Tunc illa talem sustulit sententiam:

Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.

Quapropter Apibus fructum restituo suum.

15

Hanc præterissem fabulam silentio,

Si pactam Fuci non recusassent fidem.

quasi parens est alicujus rei, a verbo *ungen*, quod & ipsum creare & efficere notat; quo sensu usus est Lucretius & alii: vide Vorstium *de Latinitate, merito suspecta*, cap. XXV.

12 *Fuci recusant.*) I. e. Recusant efficere quod a Vespæ propositum est.

13 *Tunc illa.*) Scilicet, Vespæ.

Sustulit sententiam.) I. e. Tulit, dixit talem sententiam: *sustulit* idem est ac verbi simplicis *tulit*, quamquam unus hujus vocis, ut observat Walchius, atque hujus notionis veteribus incognitus fuerit: sic ferè Lib. I. Fab. X.

Uterque causam quam perorasset suam,

Dixisse fertur Simius sententiam.

14 *Apertum est.*) I. e. Iam patet, constat.

Quis non possit.) Scilicet, facere favos, seu auctor favorum: alia in re hoc verbum *Fucere* poni Ellipticè vide ad Horat. Epod XII. 12.

15 *Apibus.*) Tanquam veris auctoribus.

Fructum restituo suum.) I. e. Fructum sui laboris, favos nempe restituo: vide Brissonium in form. nam prætor ex edicto recuperandæ possessionis, ad eum, qui dolo rem alterius possidebat, ut suam, ajemat, *restituas*: sic Cicero pro Cæcina *Prætor aut vim fieri vetat, aut restitui factam jubet.*

17 *Fuci.*) I. e. Homines vani, qui meos, ut faci favos, versus usurpârunt.

Nen recusassent pactam fidem.) I. e. Rupissent fidem pactam; aliena sibi vindicando. V. Freinshemium ad hanc Fabulam de versibus Virgillii.

FABVLA XI.

Æsopus ludens.

PVERORVM in turbâ quidam ludentem Atticus
 Æsopum nucibus quum vidisset, restitit,
 Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
 Derisor potiùs, quàm deridendus senex;
 Arcum retensum posuit in mediâ viâ:

8

1 *Puerorum in turbâ, &c.*) Ordo est. Quidam Atticus, i. e. Atheniensis quidam quum vidisset Æsopum ludentem nucibus in turba puerorum, restitit, &c.

Quidam.) Sic loquebantur de ignotis, quod Lusitanicè sonat, *hum certo homem*. Nepos in Pausania. *Interim Argilius quidam.*

Atticus.) Vnus ex Atheniensibus.

2 *Nucibus.*) Solemni ludo puerorum: vide Casaubon. ad Persiam.

Restitit.) I. e. Substitit, ut solent admirantes rem insolitam: sic supra Lib. I. Fab. XII. sic Ovidius VI. Met. 326. *Restitit, & pavido, foveas mihi, murmure dixit.*

3 *Quasi delirum risit.*) I. e. Derisit Æsopum sic ludentem, quasi delirasset.

Simul.) I. e. Simul ac; statim ac: ut infra Fab. XIII. Lib. IV. Fab. VIII. & XIV., Lib. V. Fab. V. & VII. exem-

plo Ciceronis, Horatii, aliorumque optimi ævi Scriptorum.

4 *Derisor.*) Bono sensu, ac in laude positur. I. e. Qui ridere stultitiam hominum soleat, plura sibi tribuentium, quàm re-vera possident: sic alibi.

..... *Naris emunctæ senex,*

Natura nunquam verba cui potuit dare

Lapis apud Fabrett. L. FABIO. IANVARIO QVI ET DERISORI.

5 *Arcum retensum.*) Propriè de arcu, cui demptus est nervus, ejus oppositum *intensus arcus*, vel *intentus*, ut est apud Q. Curt. Hic non est *extensum*: sed *remissum*, *laxatum*; nam *retendere arcum* significat *remittere*, *laxare arcum*. Æsopus namque arcum tendit, deinde retendit, laxavit, remisit; & sic retensum, laxatum, remissum posuit in media viâ: sed hæc locutio,

Heus, inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.

Concurrit populus: ille se torquet diu,

Nec quæstionis positæ causam intelligit.

Novissimè succumbit. Tom victor sophus:

Citò rumpes arcum, semper si tensum habueris: 10

quà Phædrus usus est, brevitas suæ indicium est: sic Naso II. Met. 419.

Exiit hic humero pharetram, lentosque retendit.

Arcus.

In media via.) Sicut supra Lib. II. *In media quercu*, licet sensus ibi paulò alius. Cicero *in medio foro sæpe*.

6 *Heus, inquit, &c.*) Inquit, scilicet *Æsopus*, ò tu, sapiens, &c.

Sapiens.) I. e. Philosophæ; qui sapientiam jactas, & me derides; &c. per Ironiam: sic Terentius Phor. II. III: *Filium narras mihi, cujus de stultitia dici, ut dignum est, non potest: at tu, qui sapiens es, magistratus adì, &c.*

Expedi.) Elliptica est constructio. I. e. Expone, quid inquam hoc facto: sic Terentius Eun. IV. 4. *Agedum, hoc mihi expedi.* Plautus Menæch. IV. 2. *Qui tu misera es? mihi expedi:* confer sis quæ ad hunc locum Donatus, & nos jam observavimus nostra in Lusitanica Editione superiori anno in lucem emissa.

Quæstionis positæ.) Propriè.

I. e. Quæstionis ab *Æsopò* propositæ: sic Cicero Tusc. I. *Ponere jubebam, de quo quis audire vellet.*

Causam.) Scilicet, Quem ob finem sic arcum posuerit *Æsopus*.

9 *Novissimè.*) I. e. Ultimò, tandem.

Succumbit.) I. e. Superatur, velut in certamine, dum causam dicere non potest.

Victor sophus.) I. e. Sapiens *Æsopus*, qui victor dicitur, quia quod ipse posuerat, alter interpretari non poterat.

Sophus.) Vox Græca, Latinitate donata, significat *sapiens*; nam Romani eum, qui arte aliquâ excellebat, *Sophum* dicere solebant; nec nomen hoc adeò strictius sumebatur; namque propriè σοφία cognitionem rerum & divinarum, & humanarum vocabant: unde Cicero de Officiis Lib. I. cap. XLIII. *Princeps omnium virtutum est illa sapientia, quam φία Græci vocant: prudentiam enim, quam, &c. ex Wachio.*

10 *Citò rumpes.*) Sic Ovidius Heroid. IV. 91.

Arcus & arma tuæ tibi sunt imilanda Dianæ.

At si laxáris, quum voles, erit utilis.
Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FABVLA XII.

Canis ad Agnum.

INTER Capellas Agno balanti Canis,
 Stultè, inquit, erras, non est hic mater tua :
 Ovesque segregatas ostendit procul.
 Non illam quæro, quæ, quum libitum est, concipit,
 Dein portat onus ignotum certis mensibus. 5

Si nunquam cesses tendere.
mollis erit.

11 *Erit utilis.*) I. e. Eo uti poteris, quando volueris. Plauti & Terentio est *utilis*.

13 *Melior.*) I. e. Promptior, facillior, aptior, utilior ad aliquid meditandum; ad studia: imitatione Græca. Videtur hanc Fabulam scripsisse Phædrus in defensionem Divi Augusti, patroni sui, contra quosdam austeros Censores: refert enim Suetonius in ejus vita cap. XIII. *Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo latia, aut ocellatis mucibusque ludebat cum pueris.*

Tibi) Walchius legit *sibi*, & refert ad animum.

Inter Capellas; &c.) Ordo sic se habet: Canis inquit Agno

balanti desiderio matris, quam requirebat inter capras.

Balanti.) I. e. Matris suæ desiderio.

2 *Stultè.*) Objurgantis est.

Hic.) I. e. Hoc in loco, inter capras puta.

3 *Ovesque segregatas.*) Propriè. I. e. Ab grege capellarum sejunctas, separatas.

4 *Non illam quæro.*) Respondet Agnus ad canem. Non illam matrem quæro, quæ est inter oves istas segregatas, & quæ concepit me.

5 *Portat onus ignotum.*) I. e. Portat in utero factum reconditum statutis mensibus: sic supra Libro I. Fab. XVIII.

Onus naturæ quò melius deponeret.

Ignotum.) I. e. Recondi-

Novissimè prolapsam effundit sarcinam :
 Verùm illam, quæ me nutrit, adamoto ubere,
 Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
 Tamen illa est potior, quæ te peperit. Non ita est.
 Vnde illa scivit, niger, an albus nascerer?
 Age porrò, scisset: quum creârer másculus,

10

tum, nec umquam adhuc visum.

6 *Novissimè.*) I. e. Tandem, ultimò: sic Plinius Lib. I. Epist. XIV. n. 11. *Novissimè; quia diceret, quaerivit: responsum est, Licinius: sic etiam dicitur: novissimum agmen, i. e., ultimum.*

Prolapsam effundit sarcinam.) I. e. Parturit foetum prolabantem, dum paritur in terram

Prolapsam.) Ita amant de partu, maximè inauspicato. *Cadere & Labi* verba sunt de partitione usurpata.

Effundit.) Sic Iuvenalis Sat. II.

Patris similes effunderet offas.

Sarcinam.) Idem, quod paulò ante dixerat, *onus*: confer sis quæ notavimus Lib. I. ad Fab. XVIII.

7 *Verùm illam.*) I. e. Verùm quæro illam matrem.

Adamoto ubere.) I. e. Porrecto, præhito ubere, ut fugam lac: sic Florus: *uber admovit infantibus: & Virgilius.*

Hircanaque admobrant ubera tigris.

8 *Fraudatque natos lacte.*)

I. e. Subducit eis aliquid, privat eos lacte: ita Plautus, & alii. Terentius Phorm. I. I. *Suum defraudans genium.*

Natos.) Pultos: sic Lib. I. Fab. XXVIII. & alibi.

9 *Tamen.*) Scilicet, Canis nunc inquit rursus.

Potior.) Iuris respectu: vult enim plus deberi iis, a quibus nascimur, quàm a quibus alimur: ita Curtius I. cap. I. *Statuant neminem esse potiorum, quàm Abdolonimum quendam.*

Nec ita est.) Scilicet, respondet Agnus: sunt equidem verba Agni refutantis sententiam Canis.

10 *Niger, an albus.*) I. e. Mas, an femina: q. d. nihil ad formaturam mei conlilit. Sic Catullus.

Nec scire utrum sis albus, an ater homo:
 ex Proverbio, *albus an ater sit nescio*: confer Ciceronem in Phil. II.

11 *Scisset.*) I. e. Scivisset: est Syncope: & est concessivum verbum, idem significans, ac *demus, faciamus scivisse*: etiam scivisset, quid ex eo ad me commodi?

Beneficium magnum sanè natali dedit,
 Ut expectàrem laniam in horas singulas.
 Cujus potestas nulla in gignendo fuit,
 Cur hâc sit potior, quæ jacentis miserita est,
 Dulcemque sponte præstat benevolentiam?
 Facit parentes bonitas, non necessitas.

16

Masculus.) Masculos parare in cibum, feminas autem ad augendam prolem vivas servare solebant, sicut hodieque receptum.

12 *Beneficium magnum.*) Per Ironiam magno enim sibi damno fuisse, ait, nasci masculum; quum agni masculi sæpius occidantur, ut is proinde expectaret in horas singulas a Lanio interfici.

13 *Lanium.*) I. e. Mortem a Lanio singulis momentis mihi inferendam.

In horas, &c.) Ita Cicero, commutari in horas, in Epist. ad Att.

14 *Cujus potestas, &c.*) Ordo est. Cur ea, potestas cujus fuit nulla in gignendo, sit potior hac, quæ est miserita jacentis? adhuc sunt Agni verba, potentis a Cane; & dicentis. Potestas nulla in gignendo ejus esse dicitur hoc loco, quæ in gignendo potestatem nullam sibi habet relictam, sed cogitur simpliciter facere, quod id negotium requirit; quæ non potest non gignere, quando semel partum concepit.

15 *Iacentis miserita est.*)

I. e. Miserita est mei, Agni scilicet, omni auxilio destituti, quippe qui desertus fuerim a Matre: quasi diceret: mater mea dedit mihi vitam, sed ut eriperet iterum per crudeliosissimam suam negligentiam, dum jacentem me ne respicit quidem. *Jacere* cum emphasi de illis dicitur, qui miseris adficiunt & omni auxilio destituti: item de iis, qui in morbo cubant, imò, qui mortui sunt: sic Plinius Epist. II. 20. *Veronia Pisonis graviter jacebat*: vide supra Fab. XIV. *Hic quum jaceret morbo confectus gravi Rex.*

16 *Dulcemque, &c.*) Nimirum a mamma læc sugendum præbuit, sic supra Fab. VIII. *Dulcemque in ambos caritatem partiens.*

17 *Facit parentes bonitas.*) I. e. Ostendit, ac probat parentes bonitas, quâ filios nutriunt, & solvent, non necessitas, quâ concipiunt & pariunt; nam illi verò dici possunt patres, qui non necessitate quadam naturæ procreant liberos, sed qui procreantis vitam susti-

*His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.*

FABVLA XIII.

Cicāda & Noctua.

HUMANITATI qui se non accōmodat,
Plerūmq̄ue p̄enas oppetit superbiæ.
Cicāda acerbum Noctuæ conviciū

mentalimentis, & consiliis juvant:
multa heic eruditè quidem ob-
servat Walchius, quem sis con-
fer.

Necessitas.) I. e. Ordo na-
turæ; sic Statius II. Silv. I.

*Natos genuisse necesse est,
At legisse juvat.*

19 *Obsistere.*) I. e. Repu-
gnare, baver ari, & difficiliter
exsequi ea quæ justa sunt, ac
necessariò effici debent. *Leges*
jussa sunt & imperia qualiacum-
que quæ quid exigunt a nobis fieri,
vel non fieri; ut sanguine junc-
tos parentes & liberos amare
se mutuò, non odio persequi
debere.

Meritis.) Scilicet, Beneme-
ritis. i. e., Beneficiis: sic Lib.
I. Fab. VIII. sic Suetonius in
Cajo, cap. XXVI. *Omnibus
pro necessitudinis jure. proque
meritorum gratia, cruenta mors
persoluta est.*

Cupi.) I. e. Allici, devinci,

trahi in obsequium; & amorem.

1 *Humanitati, &c.*) I. e.
Qui non facit quod omnes hu-
manos, & comes decet.

Accōmodat.) *Accommodare*
se humanitati dictum ut apud Ci-
ceronem, *Accommodare oratio-
nem auribus multitudinis*; pro ex
voluntate humanitatis vitam,
moresque suos regere. *Humani-
tas* est ea amabilitas, quæ
studemus ad societatem mutuam
servandam alter alteri placere.

2 *Oppetit.*) I. e. Subit, quo-
modo *oppetere mortem* dicimus:
sic *oppetere pestem* dixit Cice-
ro in Tusc. I.

3 *Acerbum.*) Cohæret cum
Noctuæ: i. e., quod acerbum
fuit nocturæ. *Acerbum*, est mo-
lestum, ingratum, amarum:
sic Cicero dixit Lælio, cap.
XVI. *Acerbius in aliquem iu-
vehi, insectarique vehementius:
Conviciū faciebat*) I. e.

Faciébat, sólitæ victum in ténebris quærere,
 Cavoque ramo cápere somnum interdiu. 5
 Rogata est, ut tacéret. Multò validiùs
 Clamare cœpit. Rursus admotá prece,
 Accensa magis est. Noctua, ut vidit sibi
 Nullum esse auxilium, & verba contenñi sua,
 Hâc est adgressa garrulam fallaciâ: 10
 Dormire quia me non sinunt cantus tui,
 Sonare cithará quos putes Apollinis,

Insectabatur, calumniabatur,
 clamore obstrepebat.

5 *Cavoque ramo.*) Repetendum in ex præcedentibus: *caro* est in parte arboris excavata.

6 *Rogata est.*) Scilicet, a Noctua.

Multò-validiùs, &c.) Scilicet, at illa multò validiùs; &c.

7 *Admotá prece.*) Eleganter. Eadem phrasis est Lib. I. Fab. XIX., & Lib. IV. Fab. XXV. *Prece* autem in singulari posuit, exemplo Terentii, atque aliorum.

8 *Accensa magis est.*) I. e. Irritata, concitata magis est ad cantandum: absolutè: sic Virgilius, quamquam sensu diverso, Æn. IV.

..... & sic accensa profatur.

Sibi nullum esse auxilium.) I. e. Nihil sibi esse subsidii in oratione sua, contra clamorem cicadæ, seu ut liberaretur a molesto cantu cicadæ habuit in mente illud Plauti in Epid. V. II. *Auxilium mihi & suppetite sunt domi.*

10 *Hâc est adgressa garrulam, &c.*) I. e. Hâc adlocuta est fallaciâ Cicadam sibi molestam.

12 *Sonare.*) I. e. Qui sunt tam egregii, ut quis putet ab ipso Apolline cani.

Citharâ.) Est casus auferendi, eo senu: Quos cantus tuos quis putet adedò suaves & dulces, quasi istorum sonus fieret per citharam Apollinis: sic Virgilius Æn. I. *Nec vox hominem sonat*: adde illud Horatii II. Carm. XIII. *Et te sonantem plenus aureo, Alca, plectro dura navis . . . sonare plectro*, sicut hic *sonare citharâ*: quod tamen per illud Virgilii ex Æn. I. clarius patet.

..... *citharâ crinitus Iopas*

Personat auratâ . . .

Putes.) Est; pro *Quis putet*: nec enim Cicada ipsa sic potuit putare de cantu proprio. Dicit, cantus ejus esse tam elegantes, ut possint componi cum cantibus Apollinis.

Potàre est ánimus nectar, quod Pallas mihi
 Nuper donávit: si non fastidis, veni;
 Vnà bibamus Illa, quæ ardébat siti,
 Simul cognóvit vocem laudári suam,
 Cupidè advolavit. Noctua egressa e cavo,
 Trepidantem consecrata est, & leto dedit.

15

13 *Potàre.*) I. e. Bibere largiùs, per hilaritatem animi ex cantu.

Nectar.) I. e. Polum Deorum. Pallas dederat Noctuæ nectar, quia avis est ipsi sacra.

Pallas.) I. e. Minerva, dea Sapientæ, Iovis filia, nata ex ipsius cerebro, ut vulgatum est, quæ artibus liberalibus præest: vide Fabul. sequentem. Noctua autem est avis *Palladis*, ut aquila, *Iovis*, pavo *Iunonis*, &c.

14 *Si non fastidis.*) I. e. Si non contemnis nectar illud, hanc potionem: formula humanitatis, & civilis elegantie: sic Petronius, cap. CXXVII *Si non fastidis feminam ornata, consilio tibi soxorem.*

15 *Vnà bibamus.*) Sic Horatius.

Vnà simus, ait.

Illà, quæ ardebat.) Sic rectè, non quia, ut nonnulla præferunt exemplaria, ut valeat, illa, ut quæ ardebat, &c. sic hujus Libri Fab. XIX.

Sensit profecto se hominem non vi. um seni,

Intempestivè qui occupato adluserit.

Ardebat siti.) I. e. Cicada sitibunda, quæ vehementer sitiébat.

16 *Simul.*) I. e. *Simul ac,* ut jam autè monuimus.

17 *Advolavit.*) I. e. Volavit ad eum locum, ubi erat Noctua, ad potandum.

E cavo.) Scilicet, *E cavo ramo,* ubi insidebat, ut supra.

18 *Trepidantem.*) I. e. Magno cum timore fugientem.

Leto dedit.) Ita Lib. I. Fab. XXII.

Improbam leto dedit.

hæc locutio Walchio data videtur, utpote quæ a pura veterum scribendi ratione abhórreat: convenientiùs poëtis, quàm oratoribus, est vocabulum, prout *letiferum* quoque rarò usurpant, & pro illo vocabulo dicunt *mortiferum*, ut est *mortiferum vulnus* apud Nepotem; *mortifera plaga*, *mortiferum poculum* apud Ciceronem: vide Buchcerum de *Commulata ratione dicendi* p. 231. Cicero rarò habet: sicidem de *Divinat.* I. 26. *Leto interire.* Ovidius Herod. II. 147. *Leto aliquem dare.* Nepos in *Regibus*, cap. III. *Leto affici:* con-

Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

FABVLA XIV.

Arbores in Deorum tutela.

OLIM, quas vellent esse in tutelâ suâ,
 Divi legērunt arbores. Quercus Iovi,
 Et myrtus Veneri placuit, Phœbo Laurea,

sule sis Walchium ad hunc locum.

19 *Mortua.*) Viteriâ n. n. cantandâ.

1 *Quas vellent.*) I. e. Quas volebant sibi sacras esse.

2 *Legērunt.*) I. e. Sibi elegerunt arbores, quas; &c.

Quercus Iovi.) Quia ab illo primùm monstrata hominibus, ut ex ea, pro carnibus humanis, quibus ante Iovem Saturni tempore vescerentur, nutreantur; nam Iupiter vetuerat, ne quis eo cibo uteretur. Quercus non solum Iovi, sed aliis quoque, ut Cereri, Baccho, Rheæ sacra fuit, quod constat ex carminum & Mythologiae auctoribus: vide Plutarchum in Coriolano.

3 *Myrtus Veneri.*) Quia hæc arbor nascitur in litore maris, ubi Venus nata est: quidam verbò volunt idcirco Myrtum esse sacram Veneri, quòd Venus Myrto esset ornata, quàm iudicio Paradisi discessit

pulchrior Iunone & Pallade: sic Virgilius Ecl. VII.

Populus Alcideæ gratissima, vitis Iaccho,

Formosæ Myrtus Veneri, sua Laurea Phœbo.

sic idem Poëta Æn. V.

Sic fatus velat materna tempora myrto.

Baccho quoque Myrtus dedicata fuit, ut Aristophanes ostendit in Ranis; cuius locus ex Græco translatus sic sonat.

Iacche, ó Iacche,

Veni per hæc præteritum tripudians.

Saxos ad initiantes:

Fructiferam concutens

Circa caput tuum virentem Coronam myrtorum.

item Cereri.

Phœbo Laurea.) Pro, Laurus, imitatione. Virgiliû, qui sic loquitur Ecol. VI. Placuit hæc arbor Phœbo, quia Daphnes ab ipso Phœbo amata in hanc arborem mutata fertur.

Pinus Cybebæ, Populus celsa Herculi.
 Minerva admirans, quare stériles sumerent,
 Interrogavit. Causam dixit Jupiter:
 Honore fructum ne videámur vendere.
 At mehercule narrábit, quod quis voluerit,
 Oliva nobis propter fructum est gratior.

5

4 *Pinus Cybebæ.*) Huic Deæ Pinus arbor sacrata fuit, quod Alys, quem deperibat, fuerit in hanc mutatus, ut ait Ovidius X. *Metam. Et succinta; &c.*) confer sis Virgilium *Æn.* X. v. 220.

Cybebæ.) Dicta est Deorum Mater, & per eam terra intellegebatur.

Populus celsa Herculi.) Quia Hercules populo erat ornatus, quum ad Inferos descendit, inde educturus canem Cerberum: sic Virgilius in *Ecl.*

Populus Alcides gratissima. Consule sis eundem in *Georg.* Lib. II. 66., & *Æn.* VIII. 276. sic Horatius.

Teucer Salamina patremque
Quum fugeret, tamen uda
Lyæo
Tempora populeâ fertur cinsisse coronâ.

6 *Admirans*) Absolutè: ita *Infra* Lib. IV. *Mirati, sibi legatos non revertier.* Cicero ad *Att.* VI. *Admiratus sum, nihilominus tua manu scripsisse.*

7 *Honore fructum, &c.*) I. e. Elegimus arbores nullos fe-

rentes fructus, ne videamur, si quando homines nos colunt, vendere, i. e. dare, fructum illarum arborum pro honore nobis præstito.

8 *At mehercule, &c.*) Inquit Minerva refutans Iovem: observandum est in hac affirmandi vel jurandi formula inductam hic Minervam humano ore loquentem, quia per Deos jurare hominum est: præterea hoc juramenti genus, quod hic affingitur Minervæ, virile esse propriè non femineum: confer *A. Gellium N. A.* XI. cap. VI. vide autem quæ notavimus ad *Fab. I. Lib. I. v. 12.*

Narrabit.) Propriè, velut de re ad se nihil pertinente. I. e. Narret, ac judicet quisque, quod volet. Proverbialis Locutio, & formula securè spernentis aliorum judiciâ, confer *Donatum ad Terentium Andr.* IV. III.

9 *Oliva, &c.*) Hæc arbor Palladi, seu Minervæ sacra fuit, quia virgo perpetuò credita fuit, & castitati olim ipsa Oliva consecrata. *Oliva* dicitur propriè de fructu, *olea* de arbore: hic verò de arbore *oliva* dicitur

Tunc sic Deorum génitor, atque hominum sator: 10

O nata, meritò sapiens dicere omnibus:

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.

Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

FABVLA XV.

Pavo ad Iunonem.

PAVO ad Iunonem venit, indignè ferens,
Cantus Luscinii quòd sibi non tribuerit: -

10 *Tunc sic, &c.*) Tum sic Deorum pater locutus est.

Deorum génitor, &c.) Est Periphrasis Iovis, qui hoc nomen, in primis a Poëtis, sæpe numero accipit.

Hominum sator.) I. e. Conditor, Creator hominum, i. e. Iupiter: sic Virgilius *Æn.*

Olli subridens hominum sator atque Deorum.

Oscula libavit natæ.

11 *O nata.*) Minervam natam, seu filiam adpellat, quod fabulosa vetustas tradidit, hanc Minervam ex Iovis cerebro progenitam fuisse: sic Naso *Fastor. Lib. III. v. 841.*

An qua de capitis fertur sine matre paterni

Vertice cum clypeo prosiluisse suo?

Dicere.) I. e. Diceris, æstimaris, haberis ab omnibus. Minerva enim Dea Sapientæ.

12 *Nisi utile est.*) Reddit rationem, cur dicetur sapiens. Hanc sententiam

NISI. VTILE. EST.

QVOD. FACIMVS.

STVLTA. EST. GLORIA

iisdem verbis conceptam Zamoscius, narrante Gudjo, in Lapide invenit, quam deinde Gruterus recepit in corpus Inscriptionum.

13 *Nihil agere.*) Subintellige oportere; Ellipsis Græcis usitata. I. e. Ne faciamus quidpiam, unde aliquid commodi, & emolumentum proveniat: est & hic versus *Lib. IV. Fab. XXIII.*

1 *Pavo.*) Avis Iunoni sacra, & in ejus tutela.

2 *Luscinii.*) *Luscinius*, & *Luscinia* promiscuè usurpantur, quamquam usus *Luscinii* non adeò frequens est, & solius pene Phætri est; & vulgò tantum *Luscinia*; sed apud Senecam

Illum esse cunctis auribus admirabilem ,
 Se derideri, simul ac vocem miserit.
 Tunc, consolandi gratiâ, dixit Dea :
 Sed formâ vincis, vincis magnitudine :
 Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
 Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
 Quò mî, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
 Fatorum arbitrio partes sunt vobis datæ :

10

Epistol. LXXVI. invenitur : sic
 suprà Fab. IV. *Simius* est pro
Simia.

3 *Cunctis auribus.*) I. e. Au-
 ribus omnium, propter suavissimum
 cantum : vulgò est *avibus*,
 sed oplimè ex MSS. restituit Gu-
 dius *auribus*, quam lectionem
 probat Heinsius.

4 *Simul ac.*) Quod Lusitani-
 cè ita sonat : *Logo que ; tanto
 que ; &c.*

Vocem.) I. e. Cantum.

Miserit.) I. e. Emiserit, edi-
 derit ore.

5 *Consolandi gratiâ.*) I. e.
 Vt illam consolaretur.

6 *Sed formâ vincis.*) I. e.
 Luscinus valet quidem cantu,
 sed tu formâ & magnitudine eum
 vincis.

7 *Nitor smaragdi, &c.*) Op-
 timè. I. e. Collum tuum instar
 smaragdi fulget : seu nitor colli
 tui talis est, qualis est in sma-
 ragdo.

8 *Gemmeam caudam.*) Qua-
 si gemmis ornatam seu plenam :
 significans : Caudam quoties ex-
 pandis, habes diversicoloribus
 plumis gemmantem, & quasi

gemmis lucentem : confer sis Ovi-
 dium *Metam.* L. I. v. 723. de
 oculis Argi.

9 *Quo mi*) Ellipticè poni-
 tur, ut subaudias, *Fine*, i. e.
*in quem finem ; ad quod bonum
 mihi ; cui usui mihi :* supple
 etiam : *tu dedisti, vel dii dede-
 runt :* sic Horatius Lib. I. *Epist.*
 V.

*Quo mihi fortuna, si non con-
 ceditur uti ?*

Mi.) Est pro *Mihi* per Apo-
 copen, quæ non solum abscissio-
 nem litteræ, sed totius quoque
 syllabæ involvit.

Mutam speciem.) Scilicet. *Dii
 dederunt speciem eam, quæ si-
 gno aliquo se jactare non potest.*

Sono.) I. e. Voce, cantu.

10 *Fatorum arbitrio.*) Heic
 est sermo Iunonis, quo respon-
 det ; peculiare singulis avibus
 datas esse dotes voluntate Deo-
 rum, in quo Pavo acquiescere
 debet.

Partes.) Vult, cuilibet suam
 & peculiarem tributam esse par-
 tem donorum, & beneficiorum,
 quæ a Deis conceduntur. Locu-
 tio desumpta est a *Comicis*, ubi

Tibi forma, vires aquilæ, lusciniò melos,
 Augurium corvo. læva cornici omina;
 Omnesque propriis sunt contentæ dotibus.

*Noli adfectare, quod tibi non est datum,
 Delusa ne spes ad querelam recidat.*

partes cuique designantur: alter enim personam principis; alter patris agit; & ita porro.

Vobis.) Scilicet, avibus.

11 *Melos.)* I. e. Cantus suavis, ut versu primo, cum apta vocis modulatione & flexu.

12 *Augurium corvo.)* Vt sit in Augurium; & quidem felix si a dextra sedeat, secus autem si a læva: quum e contrario Cornix tum ratum faciat, quum est a læva, juxta Ciceronem II. de *Divinat.* 39:

A dextra corvus, a sinistra cornix facit rata.

Læva.) I. e. Fausta, felicia: nam a læva sedens faciat bona omina: sic Virgilius *Eclog.* I.

Sæpe sinistra cava prædixit ab illice cornix.

Iussu enim Iovis canebat Cornix a læva, corvus a dextra. *Plautus Asin.* II. I. 11. -

Impetrilum, inauguratum 'st' quovis admittunt aves.

Picus & cornix est ab læva; corvus porro ab dextera. confer sis ad hunc locum *Walchium.*

13 *Dotibus.)* Ita rectè *Heinsius.* *Dos* est naturalis quædam bonitas, quæ huic illive est ingenta, sic *Ovidius* de *Arte.*

Si vox est, canta, si mollia brachia, salta.

Et quacumque potes dote placere, place.

14 *Noli adfectare.)* Quia, ut ait *Phædrus* in *Fabula Canis,* *Amittit meritò proprium qui alienum adpetit:*

ut etiam *Camelus* in *fabulis,* qui poscess cornua, auribus quoque privalus est.

Adfectare.) I. e. Ambire, quærere.

15 *Delusa.)* Quia, ut infra est *Lib. V. Fab. VI.*

Quem spes delusit, huic querella convenit.

est itaque sensus: ne destituaris spe tuâ, & ita redigaris ad querelas.

Recidat.) Prima syllaba hic producitur: vide *Gifanium* ad *Lucret:* ind. & *Scal. Lect. Auson. Lib. II. cap. XXI.* sic *Cicero* pro *Sylla:* *Ad luctum reciderunt ex lælitiâ.*

FABVLA XVI.

Æsopus ad Garrulum.

Æsopus dōmino solus quum esset familia,
 Parare cœnam jussus est maturiùs.
 Ignem ergo quærens, aliquot lustravit domos;
 Tandemque invénit, ubi lucernam accenderet.
 Tum circumeunti fuerat quòd iter longius,
 Effecit brevius: nanique rectâ per forum
 Cœpit redire. Et quidam e turbâ garrulus,

1 *Æsopus, &c*) I. e. Quum solus Æsopus esset tota familia Xantho Philosopho, suo domino, non habenti alium servum præter ipsum: sen, quum ei esset unicus servulus: nam aliàs unicus servus non facit familiam, ut Cicero inquit: videtur ergo Ironicè hoc Phædrum dixisse. Vide Pignorium de Servis, pag 21.

Familia.) Primo casu. Familis adpellatione omnes, qui in servitio sunt, continentur, inquit Ylpianus.

2 *Maturiùs.*) Absolutè. I. e. Ociùs, citiùs, celeriùs scilicet, quam pro consuetudine.

3 *Ignem . . . quærens.*) Ignem non semper domi suæ veteres excitabant, sed a vicinis plerumque petebant: neque enim facile negare petenti licebat: videbatur enim hoc valdè alienum esse ab ipsa humanitate, & vita

hominum atque natura, quæ aquâ & igne carere non potest.

6 *Effecit brevius.*) Per compendia ivit: nam rediens accenso igne effecit brevius iter, quod illi fuerat longius, dum circumiret ipsum ignem quærens.

Rectâ.) Scilicet: viâ.

7 *Cœpit redire.*) De hac formula jam locuti sumus Lib. I. Fab. II. & XII. & alibi. C. Nepon IV. cap. IV. *Tanto magis Pausanias orare cœpit.* Petronius. *Cursim Ascyllon persequi cæpi:* & sic Græci quoque. Math. *Evangel.* XXVI. 37. *Cœpit contristari & mœstus esse.*

E turba garrulus.) Vt supra Fab. IX. *E populo:* sic & Suetonius Cæs. C. LXXIX. *Quidam e turba,* & ita apud sacros Scriptores: vid. Lucæ *Evang.* IX. 38. XI. 27. XIX. 39. Maru. IX. 17.

Æsôpe, medio sole, quid cum lumine?
Hominem, inquit, quæro; & abiit festinans domum.

Hoc si molestus ille ad animum rettulit, 10
Sensit profectò, se hominem non visum seni,
Intempestivè qui occupato adluserit.

8 *Medio sole.*) I. e. Meridie, medio die; ut apud Stat. V. Theb. sic Horatius Lib. I. Ep. V. *Supremo sole*, pro vespere: ita etiam supra Phædrus noster, *mediâ vid, mediâ quercu.*

Quid cum lumine?) Scilicet, vis, facis? Ellipticè, ex consuetudine celerius loquentium, nam festinabat Æsopus.

8 *Hominem, inquit, quæro.*) Non formâ tantùm, ut qui frequentes occurrunt, sed mente, ac virtute, qui inter plurimos vix invenitur: ita Diogenes olim Cynicus luce clarâ per forum turba confertum cum lumine discurrebat, aliquid requirenti similis: interrogatus ergo, quid sibi vellet? Hominem, inquit, quæro: significans plurimos occurrere, qui formam haberent hominis, mentem non haberent.

10 *Molestus ille.*) I. e. Ille garrulus.

Ad animum rettulit.) I. e.

Consideravit, examinavit animo: intellexit, sibi adplicuit.

11 *Seni.*) I. e. Æsôpo. Sic in aliis etiam locis Æsôpum vocari vidimus: neque enim semper decrepitem, annis gravem, vel ætate confectum significare videtur, sed nonnunquam esse blandius nomen, honoris & reverentiæ causa quod sit inditum: sic γῆρόπρις apud Græcos adpellati viri graves.

12 *Intempestivè.*) I. e. Extra tempus, dum aliis rebus detinebatur.

Adluserit.) I. e. Iocari voluerit, & otiosè garrive cum occupato: sic Terentius *En. me. III. 1. 34. Cæpit ad id alludere.* secutus est enim Virgilium, qui *Æn. VII. 17.*

Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus.

Nec plura adludens . . .

Adludens, est jocans: vide ibi *Servium.*

FABVLA XVII.

Asinus & Galli.

75111118

QVI natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit; verum post obitum quoque
Persequitur illum dura futi miseria.

Galli Cybébes circum in quæstus ducere
Asinum solébant, bajulantem sarcinas.
Is quum labore & plagis esset mortuus,
Detractâ pelle, sibi fecerunt tympana.

2 *Tristem.*) Scilicet, Propter
varias calamitates, laboriosam,
ærumnosam.

Decurrit.) I. e. Transigit
miseram vitam: sic Terentius
Adelph. V. IV. *Propè jam de-
curso spatio.*

Post obitum.) Dum vel casta-
ver ignominia adficitur, vel de
ipso mortuo mala fame excita-
tur: sed ex sententia communi
mortalium gentium, apud ipsas
hæ poenæ ac supplicia habentur
dura, quæ sunt in corporibus
defunctorum contra consuetudi-
nem.

3 *Dura.*) I. e. Perpressu as-
pera, & calamitosa.

4 *Galli.*) Sacerdotes castrati
Cybebes, Matris Deorum, Galli
dicti, seu a Gallo primo Sacer-
dote, vel a Gallo Phrygiæ flu-
mine; qui etiam *Curetes* aliis,
& *Corybantes* dicti.

Cybébes.) *Cybebe* est Isis, Ter-

ra Mater, Mater magna Deorum,
dicitur & *Cybele* media syllaba
correpta, quæ semper produci-
tur in *Cibébe* nam Græcia est
Κυβηθη, Κυβιλη.

4 *Circum in quæstus ducere.*) Dicitur eleganti Tmesi, pro
circumducere ad quæstus faci-
endos: sic Fab. I. Lib. I. *Ma-
lè ait, dixisti mihi*, pro *ma-
ledixisti mihi*: alii volunt esse
circumducere quæstus gratiâ,
Ellipsi Græcissante. Gronovius
pater præfert *circum cætus du-
cere*, i. e. oppida, fora, concii-
liabula.

5 *Asinum.*) Solemnem ad ta-
lia eorum ministrum atque ba-
julum: vide Apul. Met. L. IX.

Sarcinas.) Res, quibus in sa-
cris utebantur.

6 *Labore.*) I. e. Omnium
laborem, & plagas acceptas.

7 *Tympana.*) Quibus in sa-
cris solemniter utebantur.

Rogati mox a quodam, delicio suo,
 Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:
 Putabat se post mortem securum fore,
 Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

10

EXPLICIT LIB. III.

8 *Delicia suo.*) I. e. Asino illis inserviente. *Delicium* vocabant puerum, quem in amoribus habebant: vide Cornelii Nepotis Præfationem ad vitas Excellentium Imperatorum.

9 *Hoc locuti sunt modo.*) Sic supra Lib. I. Fab. V.

Sic est locutus, partibus factis leo.

item Fab. XXVII.

..... *Quem stans Vulturius super.*

Fertur locutus

& sic alibi.

10 *Securum fore.*) I. e. Liberum a labore, & plagis.

11 *Aliæ plagæ.*) Plagarum memioit Phædrus, quia hæc tympana aliquando virgula percutebantur, aliquando manu impellebantur: sic Ovidius Met. Lib. IV.

Femineæ voces, impulsæque tympana palmis.

Mortuo.) Dativus est, pro *in mortuum*: etiam postquam mortuus est, pellis ejus crebris ictibus tunditur sic. Flaccus IV. Argon.

..... *crebros & Liber congerit ictus.*

Desuper aberso . . .

PHÆDRI AVG. LIB.
FABVLARVM

LIBER QVARTVS.

PROLOGVS.

IOCULARE tibi videtur; et sanè leve,
Dum nihil habémus majus, calamo ludimus.
Sed diligenter intuère has nenias;
Quantam sub illis utilitatem repéries?

1 *Iocularè tibi videtur.*) I. e. Videtur tibi genus hoc fabularum joco, ac risu dignum: sic *jocari fabulis* hoc vocat Lib. I. Fab I.

Et sanè leve.) Rigaltius cum Hoogstratano, & alii sic legunt: & *sanè bene*; sed lectionis, quam præ aliis, bonâ veniâ, amplector, sensus sic se habet: *hoc institutum meum, seu genus scribendi fabulas jocularè, & omnino leve, tibi videtur, dum tantum calamo nostro ludimus, nec curâ ac studio intentiore hos versus conscribimus (nec gravius quoque argumentum scripturæ habemus, quod alias majorem diligentiam postuleret.)*

2 *Dum, nihil habemus, &c.*) I. e. Dum non habemus aliquid

majus, ludimus, *leve*, i. e. rem materiam levem, ut ex superiori interpretatione elucet: confersis aliorum conjecturas a Burmanno collectas.

Calamo ludimus.) I. e. Scriptis jocamur: sic Virgilius *Eclog. I. v. 10.*

Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.
& *Eclog.*

Tu calamos inflare leves.

3 *Has nenias.*) Scilicet, *Has fabulas, quas per modestiam adpellat nenias, hoc est, scripta nugatoria, & nullius momenti; quæ nenix idcirco jocularès & sanè leves tibi videntur.*

4 *Utilitatem.*) Scilicet Poetæ, ut ait Satyricus.

Et jucunda simul dicunt & idonca vitæ.

Non semper ea sunt, quæ videntur: decipit
 Frons prima multos: rara mens intèlligit,
 Quod interiore condidit cura angulo.
 Hoc ne locutus sine mercède existimer,
 Fabellam adjiciam de MVSTELA, & MVRIBVS.

FABVLA I.

Mustéla & Mures.

MVSTÉLA quum, annis, & senectá débilis,
 Mures veloces non valéret adsequi,
 Involvit se fariná, & obscuro loco

5 *Non semper ea sunt, quæ videntur.*) I. e. Res, quas videmus, non semper sunt, quales primo adspectu esse putantur; videlicet quæ videntur, sæpe meliora, sæpe deteriora, quàm primo intuitu comparent.

6 *Frons prima.*) I. e. Prima species, primus adspectus multos fallit: quum primum & negligenter adspicitur quidpiam: idem Romanus Satyricus Sat. II.

Fronti nulla files.

Rara mens.) I. e. Non obvia uniuscujusque mens, sed solum provida & perspicax, quæ rara esse solet, illud cognoscere potest.

Condidit.) I. e. Occultavit, involvit.

7 *Cura.*) I. e. Industria, solertia auctoris.

Angulo interiore.) I. e. Secretò loco, & abdito, hoc est, sub Fabularum involucris.

8 *Sine mercède existimer.*) I. e. Ne videar sine ratione, ac fructu, frustra & gratis dixisse hoc, scilicet non omnes percipere quantum sapientiæ, & eruditionis subsit Fabulis: subjiciam hanc Fabulam de *Mustela & Muribus*, ut potestis experiri vestras vires, & ostendere, an percipiatis quid illa innuat.

1 *Mustela, &c.*) Sic ferè orditur hanc Fabulam Camerarius.

Annis, & senectá debilis.) Sic Lib. I. Fab. XXI. de Leone. *Dissectus annis, & desertus viribus.*

2 *Adsequi.*) I. e. Attingere curam.

3 *Involvit se, &c.*) I. e. Vol-

Abjecit negligenter. Mus, escam putans,
 Adsiluit, at compressus occubuit neci.
 Alter similiter, deinde perit tertius.
 Aliquot secutis, venit & retorridus,
 Qui sæpé láqueos, & muscipula effugerat,
 Proculque insidias cernens hostis callidi:
 Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces.

5

10

vit se in farina, & volutando in ea, sic opplevit se exterius, ut tota farina videretur.

4 *Abjecit.*) Scilicet, se; velut rem vilem, quam & idcirco abjectam adpellamus: seu, se ita composuit, tanquam si esset farinæ cumulus, sic per negligentiam, abjectus. *Abjicere se in herbam* dicit Cicero in Orat. I.

Escam putans.) I. e. Farinam, quam comedere posset.

5 *Adsiluit.*) I. e. Supra eam se contulit.

At compressus.) Sic legendum puto ex Heinsii emendatione: vulgus interpretum: & *compressus*.

Compressus.) I. e. Oppressus, captus a Mustela.

Occubuit neci.) Sic *ocumbere morti* est apud Virgilium *Æn.* II. v. 82. *Litius dixit ocumbere morte*, Cicero verò & *Q. Curtius ocumbere mortem*.

6 *Alter.*) Scilicet, *Mus* alter, eodem modo adsilens, similiter occubuit.

7 *Aliquot secutis.*) I. e. Mortale sic aliquot, uno post alium.

Retorridus.) Idem est quod recoctus, i. e. exercitatus, & multarum rerum usu peritus.

8 *Muscipula*) A recto *Muscipulum*, nam & *Muscipula*, æ, inflectitur.

9 *Insidias hostis callidi.*) I. e. Mustelæ.

10 *Sic valeas.*) Formula, quâ ostendit se non habere fidem jacenti: hac ratione sæpé istud jacentis ac precibus inserit Phædrus; quod Lusitanicè ita interpretur: *Assim tu vivas* Eodem modo valeas tu, quæ jaces, sicut es farina: innuendo scilicet, ut, quemadmodum verè, & ipsa farina non erat, sic rectè valere non posset, sed disperiret: sic Antonius apud Suetonium Ad Augustum: *Ita valeas uti tu, hanc epistolam quum legeris, non inièris*. Terentius Andr. IV. II. *Valeant, qui inter nos dissidium volunt*.

Quæ jaces.) Respicit superius, *abjecit se*, quasi diceret: Simulas te jacere immobilem, farinæ instar, verum si accederem propius, fieres animata, mobilisque, meque arripes.

FABVLA II.

Vulpis & Vva.

FAME coacta Vulpis altâ in vineâ
 Vvam adpetébat, summis saliens viribus :
 Quam tangere ut non potuit, discedens ait :
 Nondum matûra est, nolo acerbam sùmere.
*Qui, facere quæ non possunt, verbis élevant,
 Adscribere hoc debébunt exemplum sibi.*

Vulpes, & Vva.) Vulpes uvis
 pasci docent & sacræ litteræ : vi-
 de Cantic. XI. 15.

1 *Fame coacta Vulpis.*) Vide
 Faernum hexametris hanc Fabu-
 lam complexum, Fab. XIX. &
 Camerarium Fab. CLIX.

Alta in vinea.) I. e. Altè ad
 perticas ligata, & erecta : con-
 fer Varronem I. de R. R. c.
 VIII. *Multæ species vineæ, aliæ
 enim humiles ; &c.*

2 *Summis, &c.*) I. e. Quan-
 tûs poterat. *Totis viribus* est Lib.
 I. Fab. XI.

3 *Quam.*) Scilicet, uvam.

Vt non potuit.) I. e. Post-
 quàm non potuit.

4 *Matura est.*) Scilicet,
 Vva.

Acerbam.) I. e. Immaturam,
 nondum percoctam. Propriè. Ci-
 cero de Senect. *Vva primo est
 peracerba* : contrarium est *mitis* :
 sic Virgilius Ecl. I.

Sunt nobis mitia poma.

5 *Elevant.*) I. e. Levia &
 vilia esse dicunt, contemnunt.

6 *Adscribere.*) I. e. Adpli-
 care, adtribuere sibi ; sibi di-
 ctum putent : verbum ex re nu-
 mularia desumptum : sic Lib. I.
 Fab. VII.

Exemplum.) I. e. Fabulam,
 narrationem : sic enim alibi.

FABVLA III.

Equus & Aper.

Equus sedare sôlitus quò fuerat sitim,
 Dum sese Aper volútat, turbávit vadum.
 Hinc orta lis est. Sonipes, irátus fero,
 Auxilium petiit hominis; quem dorso levans,
 Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques
 Postquàm interfecit, sic locutus traditur:
 Lætor, tulisse auxilium me precibus tuis;
 Nam prædam cepi, & didici, quàm sis utilis.

1 *Equus, &c.*) Ordo est. *Aper turbavit vadum, quo equus fuerat solitus sedare sitim, dum volutat sese.* Hæc Fabula, ut ex Aristotele II. Rhetoricorum, cap. XX. discimus, Æaopi non est, sed Stesiebori. quâ olim adversus Phalarin, immanitate celebrem tyrannum, usus fuit.

Sedare.) Propriè: sic Lucretius Lib. V. v. 943.

At sedare sitim fluvii fontesque vocabant.

Quo.) Refertur ad sequens vadum, pro in quo, omissa præpositione.

2 *Sese Aper volutat.*) *Porcus de luto, in quo volutabatur, &c.* Camerarius Fab. CCCXVII.

Vadum.) Aqua, quæ potest vadari.

3 *Sonipes.*) Est Periphrasis

qua, significatur is qui pedibus suis sonum edit: & sic equus passim apud Poëtas. Virgilius Æn. IV.

Stat sonipes, & frena ferox spumantia mandit.

Fero.) Adjectivè hic pro *Apro* usurpatur: sic Lib. I. Fab. XII. de Cervo, quem locum adi.

4 *Quem dorso levans.*) I. e. Quem hominem quum equus in dorsum suum recepisset.

Levans.) I. e. Tollens e terra, dum in se recipit sessorem.

5 *Hunc.*) Nempe, Aprum.

Eques.) I. e. Homo supra equum sedens.

7 *Precibus tuis.*) I. e. Ad tuas preces, in eo, pro quo deprecatus es; seu tibi auxilium meum petenti: tibi precanti.

8 *Prædam cepi.*) I. e. Aprum interfectum.

Atque ita coëgit frenos invitum pati.
 Tum mœstus ille: parvæ vindictam rei
 Dum quæro demens, servitutem repperi.

10

*Hæc iracundos admonebit fabula,
 Impunè potius lædi, quàm dedi alteri.*

FABVLA IV.

Poëta.

PLUS esse in uno sæpè, quàm in turbâ, boni.
 Narratione pósteris tradam brevi.

9 *Invitum.*) I. e. Equum ipsum, apud se eum retinendò.

10 *Tum mœstus ille.*) I. e. Equus.

11 *Servitutem repperi.*) I. e. Incidi in servitutem: confer sis Horatium Epist. Lib. I. X. de Equo, & Cervo.

*Cervus equum pugna melior
 communibus herbis; &c.*

13 *Potius lædi.*) Ellipticè. Id. est, melius esse, lædi impunè: hoc est nullâ sequente pœnâ læsionem eam, quam vindicandi causâ in alterius potestatem venire.

Lædi, quàm dedi.) Paronomasia, & Antanaclasis: i. e. Lædi, quàm tradi alteri, eique potentiori, ut equus sese tradiderat homini.

1 *Plus esse in uno boni.*) I. e. Reperiri plus boni & sapientiæ in uno, scilicet homine,

quàm in eorum multitudine: vide Iustinum V. IV. 12., Corn. Nepotem II. V. 3. & Cicero- nem pro Lege Manilia, cap. XI. XII. & ibi Interpretes.

Turba.) I. e. Hominum multitudine.

& *Posteris.*) Immortalitatem speravit suis scriptis Phædrus, ut non modò ex his verbis colligi potest, sed & aliunde intelligitur: suprâ Prol. Lib. III.

Habebunt certè, quo se oblectent posteri.

confer infra in Prologo Lib. V., & Fab. V. ejusdem Libri. sed hoc illi commune est cum antiquissimis etiam Poëtis, Eunio, Nævio, Horatio, Ovidio, & aliis.

Tradam.) I. e. Docebo: propriè dicitur de Scriptoribus: sic Cicero de Cl. Or. *Sapientem virum fuisse memoriæ traditum est.*

Quidam decédens tres reliquit filias:
 Vnam formosam; & oculis venantem viros;
 At alteram lanificam, frugi, & rusticam;
 Devótam vino tertiam, & turpissimam.
 Harum autem matrem fecit hærédem senex,
 Sub conditione, totam ut fortunam tribus
 Æqualiter distribuat; sed tali modo:
 Ne data possideant, aut fruuntur; tùm, simul

5

10

3 *Decédens.*) Scilicet, e vita. Propriè dicitur de mortuis lege naturali: sic Nepos in Artic. II. *Pater maturè decessit.*

4 *Oculis venantem viros.*) I. e. Quæ decipiebat, & captabat vulnerando oculis, & ad amorem sui veluti irretiendo: sic Ovidius.

Oculis venatur amorem.
 Plautus Mil. Glor. IV. I. dixit, *oculis venaturam facere*

5 *Alteram lanificam.*) I. e. *Lanæ deditam*, ut infra.

Frugi) Est Ellipsis pro *frugi idoneam*; nam hujus est nominativus antiquus *frux*. *Frugi*, i. e. in omnibus parcam & temperatam. De hac Ellipsi Vide Sænetium in Minerva Lib. IV. *de Ellipsi*, & ibi doctissimum Perizonium.

Rusticam.) I. e. Laboriosam: sic Virgilius Ecl. II. *Rústicus es, Corydon, nec munera curat Alexis.*

6 *Devotam vino.*) I. e. *Deditam*, ut paulo post *Lanæ deditam*. Varro sic *devotum animalicui* dixit. Cicero Tusc. III.

Derotus & donatus studiis.

8 *Sub conditione.*) I. e. Hac lege, hac limitatione. Formula propria jurisconsultorum.

Totam fortunam.) I. e. Rem familiarem, facultates, bona hæreditaria: magis usu receptum est hoc sensu in plurali numero dicere *fortunas*: sic Horatius I. Ep. V.

Quo mihi fortuna, si non conceditur usus?

quod quidem notandum.

10 *Data.*) Scilicet, ea bona hæreditaria.

Aut fruuntur.) Aut iis fruuntur rebus, quæ datæ fuerint: casus enim hic est diversus, nisi antiquè, i. e. per Archaismum sumas, *frui data*, ut apud Ciceronem, *Mea bona utantur*: sic etiam Plautus Asin. V. I. *Exorari poterit, ut sinat sese hanc frui*: & alli optimi loquebantur Romani Scriptores, quorum exemplis expendendis in præsentia supersedendum judico: eâdem ratione res se habet cum *Potior, Fungor, Vlor*. Nepos in vita Datamis, *Datames mili-*

Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.

Athenas rumor implet. Mater sedula

Iurisperitos consult: nemo expedit,

Quo pacto non possideant, quod fuerit datum, 15

Fructumve capiant; deinde, quæ tulerint nihil,

Quamnam ratione conferant pecuniam.

Postquam consumpta est temporis longi mora;

Nec testamenti potuit sensus colligi,

Fidem advocavit, jure neglecto, parens. 20

tare munus fungens. Tacitus An-
nal. III. cap. II. *Munere fungit.*

Tum.) Pro *Tunc*, quod est
notum veteribus; & refertur ad
conferant.

12 *Centena sestertia.*)

Hoc est centum singulæ: duo
millia & quingenta aureorum:
hum conto de réis: hinc centena
sestertia erant centum millia
nummorum sestertiorum.

13 *Athenas rumor implet.*)

Eleganter, ad exprimendam ma-
gnitudinem ejus, propter rarita-
tem casus. I. e. Per totam ur-
bem rumor, i. e. sermo de hoc
testamento sic composito spargi-
tur, & urbem implet: sic Ovi-
dius, *Orbem gloria complet.*

14 *Consultit.*) Propriè de pe-
ritis juris, unde & *consulti* no-
minantur: sic Cicero in Mur. de
Ictis, & *vestrum illud LICET*
CONSVLERE.

Expedit.) I. e. Explicat, ex-
ponit rem.

16 *Fructumve capiant.*) Re-

petenda est negatio ex superiore
versu.

Tulerint.) I. e. *Nihil acce-
perint, retulerint*: sic Plautus
Merc. III. HI. *Quod posces:
feres.*

19 *Sensus.*) I. e. Sententia
verborum, quæ vox omnino est
priscae atque antiqæ Latinitatis,
ut more suo doctissimè Cellarius
Cur. poster: ostendit.

Colligi.) I. e. Percipi, intel-
ligi, expediti.

20 *Fidem advocavit.*) Ele-
ganter, & propriè. Conscientiam
suam & æquitatem in consilium
adhibuit, & agit id, quod se-
cundum rectam mentem expedi-
re arbitratur, atque ita testa-
mento studet satisfacere, quan-
do ex jure non potest: advocan-
tur enim, a quibus jus exquiri-
tur. Asconius de Divin. *Advoca-
tus dicitur, qui jus suggerit.*

Jure neglecto.) Interpretor
hæc de juris peritis, quos antea
advocaverat, quorum operam au-

Sepónit Mœchæ vestem, mundum muliebrem,
 Lavationem argenteam, eunuchos, glabros:
 Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
 Boves, jumenta, & instrumentum rusticum:
 Potrici plenam antiquis apothécam cadis,
 Domum politam, & delicatos hortulos.

25

tem, quum nullum sensum testamenti colligere possent, jam neglegebat: namque sæpenumero Latinitatis Scriptores abstractum pro concreto non semel usurpant, quod aliis locis jam observavimus: ex *Walchio*.

21 *Sepónit Mœchæ.*) I. e. Seorsum ponit tanquam partem Mœchæ, vestes, &c. instrumentum, quo mundiores, & ornatiores sunt mulieres, & supellectilem omnem balneariam ex argento formatam, ut strigiles, guttos, urceolos, & id genus alia: hic versus Hexameter Iambicus est.

Mœchæ.) I. e. Ei filia, quæ oculis venabatur viros.

Vestem; mundum muliebrem.) Conjuxit & Terentius Heant. IV. IV. *Aurum, atque vestem:* nam *aurum* ibi est, quod hic, *mundus muliebris*.

22 *Lavationem.*) Vas ingens argenteum lotioni destinatum: ad luxum. hic refertur lavationis instrumentum.

Glabros.) *Glabri* sunt pueri adhuc imberbes, depiles, admodum juvenes propter rationem ætatis; natura differentes ab Eunuchis.

23 *Lanificæ.*) I. e. Illiæ filia, quæ lanæ operam dabat.

24 *Iumenta.*) Equos intelligit, atque sic ab ovibus distinguit: sic C. Nepos Eumene, cap. V. *Vt jumenta æque nitida ex castello educeret.*

25 *Potrici.*) I. e. Filia, quæ erat dedita vino. Terentius Andr. I. IV. *compotricem* dixit.

Antiquis . . . cadis.) I. e. In quibus a pluribus annis impositum erat vinum, quod apud veteres, quo vetustius, eò majori erant in pretio.

Apothécam.) Cellam, locum, ubi disponebant, & custodiebant cados, quidpiam, in specie vinum, hinc apud Plinium & Columellam *apothécæ vinaria*.

Cadis.) Cadus est vas vinarium ingens, capiens vini libras centum: addit *antiquis*, quia tales pretiosiores.

26 *Politam.*) I. e. Perfectam, absolutamque omni ratione; seu nitidam, & omni supellectile ornatam.

Delicatos.) I. e. Venustos, pretiosos, nitidos, ut mox: sic *Martialis*.

Ruris bibliotheca delicati.
Rus enim istic est hortus: sic

Sic destinata dare quum vellet singulis,
 Et adprobaret populus, qui illas nóverat,
 Æsópus mediá subito in turbá constitit:
 O! si manéret condito sensus patri,
 Quàm graviter ferret, quòd voluntatem suam
 Interpretari non potuissent Attici!
 Rogátus deinde, solvit errorem omnium.
 Domum, & ornamenta, cum venustis hortulis,
 Et vina vetera date lanificæ rusticæ:

30

35

Cicero in Verr. *delicatissimum lillus*. Plinius Lib. VIII. Ep. XVII. *Anio delicatissimus amnium*.

27 *Sic destinata, &c.*) Propria hæc quoque in testamentis ordinandis verba. Quum mater vellet dare singulis ea, quæ sic destinaverat, & seposnerat.

28 *Illas*.) Filias scilicet, & earum ingenium.

30 *O! si manéret, &c.*) I. e. Superasset, superaret: sic Virgilius *Æn. II.*

Insula dives opum, Priami dum regna manebant.

& paullo post:

Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneret.

Subintellige. Æópus sic locutus est. O! si pater conditus sepultusque posset nunc videre, ac sentire, quam malè vos intelligatis suam voluntatem. Notandum, veteres, quia dubitabant, an sensus rerum humanarum ad defunctos pertingeret, creberrimè his usos esse & similibus for-

mulis: *Siquis manum sensus est; si quis in morte sensus est; si quis etiam inferis sensus; si quis defuncti sensus est; si quid inferi sentiunt; si quis post funera sensus; si quid habet sensus umbra; si manes post fata aliquid sentiunt: sic Propertius Lib. IV.*

Nigras si quid sapit inter arenas.

31 *Voluntatem suam*.) I. e. Testamentum, quod voluntatem eleganter dicunt, quia in illo voluntas ultima declaratur: sic Plinius II. Epist. XVI. *Legem mihi dixi, ul defunctorum voluntates, etiamsi jure deficerentur, quasi perfectas tuerer.*

Sua.) Pro, ejus; nam suus & is crebrò permutantur: vide Vossium de Construct. cap. LVI.

33 *Solvit errorem omnium*.) Eleganter: i. e. Verum sensum ostendit illius rei, in qua omnes errorem tenebantur, velut vinciti; quod apparet supra versu 14. *Nemo expedit.*

Vestem, uniões, pedisequos; et cetera
 Illi adsignate, vitam quæ luxu trahit:
 Agros, villas, & pecora cum pastoribus,
 Donâte Mœchæ. Nulla poterit perpeti,
 Vt moribus quid teneat alienum suis.
 Deformis cultum vendet, ut vinum paret.

35 *Vina vetera.*) I. e. Plenam antiquis opothecam cadis. Lanificæ rusticæ.) I. e. Filiaë lanæ & ruri intentæ.

36 *Vestem, uniões.*) Supra vers. 21. *vestem, mundum muliebrem.*

Pedisequos.) Omnino sic scribendum est, ut versus stet, non *pedissequos*, ut rectè Hoogstratanus monuerat: ita in Lapide apud Gruterum DC. 8. VERNÆ. PEDISEQVO. & MCXII. 10. CINNAMVS. VI. CÆSARIS. AVG. PEDISEQVVS. sicque proinde in quamplurimis aliis monumentis, ut T. XII. Thes. Ant. Græc. p. 37.

37 *Luxu.*) Luxus, qui aliàs latius patet, hic strictè accipitur pro ebrietate, seu temulentia: significat ergo, quæ tam luxuriosè & in deliciis vivit, in convivia & compotatione multos sumtus impendat & profundat.

Trahit.) Valdè eleganter, velut reluctantem, & invitam, quando vita ebriosorum morti similior est, quàm vitæ.

38 *Agros, Villas, &c.*) Alii legunt *agros avilos & pecora;*

alii agros & vites: sic Livius L. II. XXIII. *Agro paterno aviloque se exisse.*

39 *Perpeti.*) I. e. Ferre, sustinere, pati: tritum loquendi genus: sic Terentius Heaut. IV. IV. 13.

... *Non possum pati, Quin tibi caput demulceam.*

40 *Moribus.*) Hic ablativus non regitur ab *alicuius*, sed a subintellecta præpositione *a*, ut nos docet Sanctius *de Ellipsi Præpositionum*, & Vossius *de Constructione*, cap. XIV.

Teneat.) I. e. Retineat quid alienum a suis moribus, i. e. quod non conveniat cum moribus suis. *Tenere* hic est, quod supra *possidere* dixit: exempla apud Ciceronem & Ictos obvia.

41 *Cultum.*) I. e. Quæ ad cultum, & ornatum spectant.

Vinum paret.) Gronovius legit *vinum petat*, ne ingrata repetitione iterum legatur in subsequenti versu *ornatum paret*; quam lectionem firmat hoc Suetonii loco *in Claud.* cap. XL. *Descripsitque abundantiam veterum tabernarum, unde soli-*

Agros abjiciet Mœcha, ut ornatum paret :
 At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
 Quâcumque summâ tradet luxuriæ domum.
 Sic nulla possidêbit, quod fuerit datum,
 Et dictam matri conferent pecuniam,
 Ex pretio rerum, quas vendiderint singulæ.

45

*Ita, quod multorum fugit imprudentiam,
 Vnius hominis reperit solertia.*

tus esset vinum olim & ipse petere. — Parare & Petere sæpe confundi in MSS. vidimus. =

42 *Abjiciet.*) Vili pretio vendet: sic Plautus Mostell. III. III.

... *Nunquam œdopol me scio
 Vidisse usquam abjectas œdes,
 nisi modo hasce.*

Quod rectè exponit Lambinus, *vili pretio venditas, & pro nihilo traditas*: sic Seneca *abjicere beneficium* pro cum contemptu & fastidio dare, Lib. I. *de Benefic.* cap. I. nec aliter Terentius de psaltria:

... *quæ, quantum potest,
 Aliquo abjicienda est, si non
 pretio, gratis.*

42 *Ornatum paret.*) I. e. Comparet sibi pecunia, emat: sic Terentius Heaut. IV. IV. *Aurum atque vestem qui comparet.* Cicero in Epist. ad Att. *Cogito trans Tiberim hortos aliquos parare.*

44 *Quâcumque summâ.*) I. e. Vilissimo etiâ pretio vendet domum tam politam, & cultam. *Luxuriæ.*) Non est gignendi, sed dandi casus, ut nonnulli pu-

tant, & idem ac luxuriosis, luxuriæ deditis, ut supra *improbitas* pro *improbis*, Metonymicè, quum abstractum est pro concretò: sic Plautus in Casin. II. I. *Stabulum nequitia*: in Trin. II. II. *Hospitium calamitatis.* Cicero pro Leg. Agr. *Domicilium superbia*. Cornelius Nepos in vita Attic. cap. III. *Domicilium imperii*: ad eundem modum *domum luctus*; *domum precationis* dixit vetus Bibliorum Interpretes.

46 *Dictam pecuniam.*) I. e. Constitutam, præscriptam a Testatore: sic *dotem dicere* apud Terentium Heaut. V. I. 64. & 69.

48 *Multorum fugit imprudentiam.*) Ita, quod multi, propter suam imprudentiam, adæqui non valuerunt, unus Æsôpnus solerter interpretatus est. *Fugis se nos* dicitur id, quod ignoramus, aut cujus obliti sumus.

49 *Vnius hominis, &c.*) I. e. Vnus homo solers reperit id, quod multi, aut, ut initio dixit, turba, reperire non potuit.

FABVLA V.

Pugna Murium, & Mustelàrum.

QUUM victi Mures Mustelàrum exercitu,
 (Historia quorum in tabernis pingitur)
 Fugerent, & artos circum trepidarent cavos;
 Ægrè recepti, tamen evaserunt necem.
 Duces eorum, qui capitibus cornua

Repperit.) I. e. Exposuit, explicuit: confirmat enim his verbis id, quod antè dixerat,
Plus esse in uno saepe, quam in turba, boni.

1 *Exercitu.*) Scilicet, ab exercitu.

2 *Historia, &c.*) Ita legit Gudius, neglectà elisione in secunda voce, & se aliis Poëtæ nostri exemplis tuetur. Heinsius, ne quid versui desis, ita legit.

Historia quorum & in tabernis pingitur.

Sic enim consueverunt olim hæc, & hujusmodi in Tabernis pingere.

Tabernis.) Ex consuetudine. Taberna est generalior vòx & significat: quodcumque ædificium popularis usus, prout heic quoque explicandum est: sic *Tabernæ librariæ: vinarie.*

Pingitur.) Ex consuetudine.

3 *Artos.*) Circa angustos introitus cubilium suorum tumultu-

tuarentur, dum quisque primus cupit erumpere.

Circum trepidarent.) Circum postponitur hic casui suo per Anastrophen, quod Poëtis familiare: sic Virgilius I. Æneid.

Errabant acti fati maria omnia circum.

Trepidarent.) Cum trepidatione properarent irrumperè: *trepidarent* non est *expavescerent*, aut *paùerent*, sed, per sollicitudinem festinanter intrare; concursare; quâ significatione usurpatur quoque apud Terentium Hec. *Trepidari sentio*: & apud Virgilium Æn. IV.

Dum trepidant alæ.
 & sic alibi.

Cavos.) Vel *cava*, subaudiendos *locos* vel *loca*, quæ murium domicilia erant.

4 *Ægrè.*) I. e. Vix, & difficulter.

Recepti.) Scilicet *cavis*, seu

Suis ligârant, ut conspicuum in prælio
 Habèrent signum, quod sequerentur milites,
 Hæsere in portis, suntque capti ab hostibus;
 Quos immolatos victor avidis dentibus
 Capâcis alvi mersit tartâreo specu.

10

*Quemcumque populum tristis eventus premit,
 Periclitatur magnitudo principum,
 Minuta plebes facili præsidio latet,*

infra angustos cavos: usurpatur hæc vox de loco tuto, unde quoque *receptaculum* nomen: sic Virgilius *Æn.* II. *Nec recipi portis aut duci in mœnia possil.*

6 *Ligârant.*) Pro *alligârant*, aut ligârant in capitibus.

7 *Signum.*) I. e. Notam, quâ duces a gregariis discernentur.

8 *Hæsere.*) I. e. Obhæsere, ob amplitudinem cornuum.

9 *Immolatos.*) I. e. Mactatos, per Catachresin: nam verbum *immolare* ad sacrificia propriè pertinet: sic Fab. hujus Libri XXIII.

Vbi immolatur, exta prægusto Deum.

exercitus enim mustelarum eos occiderat.

10 *Capâcis alvi mersit, &c.*) Magniloquè dictum, nam est grandis & pœtica locutio: devoravit.

11 *Quemcumque populum.*) I. e. Quotiescumque (tristis eventus aliquem populum premit.

12 *Periclitatur.*) Eleganter. Periclitari solent principes propter suam magnitudinem: similis ferè sententia fuit suprâ Lib. II. Fabula VII.

.... *Tuta est hominum tenuitas.*

Magnæ periclo sunt opes obnoxia.

confer sis Lib. I. Fab. XXX. quin & ita Horatius in Epist.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

13 *Plebes.*) Per Archaismum: pro, *Plebs*: occurrit hæc vox apud veteres, eosque optimos aetatis scriptores: sed dicitur & *plebis*, eodem nempe modo, ut *vulpes* & *vulpis*, *grues* & *gruis*.

Facili præsidio.) I. e. Præsidio, quod facilius ab ea invenitur.

FABVLA VI.

Poëta.

TU, qui, nasute, scripta destringis mea,
 Et hoc jocosum legere fastidis genus,
 Partâ libellum sustine patientâ,
 Severitatem frontis dum placo tuæ.

Latet.) I. e. Tuta est, libera a periculo, quod princeipibus imminet.

1 *Tu, qui, &c.*) Poëta hic adloquitur harum Fabularum censors: ordo est. *O tu nasute, qui, &c.*) nam *nasute* est casus vocandi a *nasutus*, non autem adverbium, ut quibusdam placuit interpretibus, & in his *Targionio*, qui ita vertebat: *nasute*, i. e. *mordaciter, fastidiosè*, ut in priori Phædri editione edideram. *Nasutus* est derisor, qui sagacius aliis se putat hominum errores vitiaque odorari: hoc jam Lexicographi rectè observârunt: sic Martialis Lib. XII. ad Lectorem:

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,

Quantum noluerit ferre rogatus Atlas:

Et possis ipsum tu deridere Latinum,

Non potes in nugas dicere plura meas.

Destringis.) I. e. *Carpis*: sic supra Lib. I. Fab. XXIX.

Gravi destringunt alios contumeliâ.

2 *Jocosum.*) Vide supra Prol. L. I.

3 *Sustine.*) I. e. Tene, non abjice statim fastidio quodam tam minutæ scriptionis.

4 *Severitatem.*) I. e. Illam tuam morositatem, quâ fit ut obductâ fronte hos versus inspicias; hos meos libellos legas.

Dum.) I. e. Donec. sic Plinius I. Epist. V. n. 15.

Neque enim volui progredi longius, ut mihi omnia libera serrarem, dum Mauricus venit. Cicero pro Milone, cap. XX. Dum Milo veniret, locum relinquere noluit.

5 *Et.*) Scilicet, & dum, i. e. donec.

In cothurnis.) Expecta, ait Phædrus, nec abjice libellum, donec te placem, & Æsopus prodeat in cothurnis, i. e., donec novo, & gravi, tragediæque convenientem sermone utentem eum audias; id quod vœat novum, quia inusitatum Æsopo,

Et in cothurnis prodit Æsopus novis.

5

Vtinam nec unquam Pelii némoris jugo,
Pinus bipenni concidisset Thèssala;
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricâsset Argus opere Palladio ratem,

fabulisque ejus. *Cothurnus* autem erat calceamenti genus, quo auctores Tragoediarum usque ad dimidiam cruris partem utebantur, atque hinc pro sublimiori dicendi genere usurpatur: sic Ovidius II. *Trist.*

*Et dedimus tragicis scriptum
regale cothurnis,
Quæque gravis debet verba,
cothurnus habet.*

6 *Vtinam nec unquam*) *Nec* hic idem ac non, ut sæpe apud Virgilium: simulat autem Poëta, ut Schefferus observat, se scripturum Tragoediam, & joco hoc velut exordium facit, quomodo Ennius in translatione Euripidis *Medæ*: vide hic Ciceronem *Libro de Fato*, cap. XV., Auctorem ad Herennium II., 12. & Donatum ad Terentii Phorionem I. III. 5. Apud Quintilianum *Lib. V. cap. X.* *Medea* loquitur.

*Vtinam ne in nemore Pelio
unquam cæsa abies fuisset.* quod ex principio *Medæ* Euripidis est.

Pelii némoris.) I. e. *Silvæ*, quæ erat in Pelione monte Thessaliæ incumbente in sinum Pelasgicum, alii legunt: *Pelii in nemoris jugo.*

7 *Pinus. . . Thessala.*) I.

e. Quæ in Pelione reperitur frequens, est nomen arboris: sed per Synedochen est singularis pro plurali.

8 *Professæ mortis.*) I. e. *Certæ*, indubitatæ; nam navigantes profitebantur se ire ad certam mortem: sic Horatius *Lib. I. Od. III.*

Audax omnia perpeli.

Gens humana ruit per vetitum nefas.

sic Cicero II. *Tusc. V. Quod est enim majus argumentum nihil eam prodesse, quam quosdam professos philosophos turpiter vivere:*

Ad audacem viam.) I. e. Ad aperiendam viam periculosam mortis certæ, ac manifestæ: hæc ad imitationem Ovidii de *Dædalo* II. *Art. A. 22. Audacem pennis reperit ille viam.* 9 *Fabricâsset.*) C. Germanicus Cæsar de aureo sæculo:

Neque per dubios avidissima ventos.

Spes procul amotas fabricata nave petebat.

Argus.) Navis illius artifex, seu architectus, quâ vectus est Iason in Colchidem, Asiæ Regionem, nunc *Mengrelia*, ad vellus aureum reportandum.

Opere Palladio.) I. e. Auxi-

Inhospitalis prima quæ Ponti sinus
 Patefecit, in perniciem Grajùm, & Barbarùm.
 Namque & superbi luget Æetæ domus,
 Et regna Pelix scelere Medæe jacent:
 Quæ, sævum ingenium vâriis involvens modis,

lio, parte, consilio, & ex mente, vel etiam operâ Deæ Palladis: fingitur enim ipsa dejecisse arbores ad eam necessarias.

10 *Inhospitalis . . . Ponti.)*
 Quod peragratum adhuc non fuerat.

Ponti.) Propriè. Nam olim Axenus adpellabatur. Ovidius de eo in Tristibus.

Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Deinde *Euxinus* est dictus, omnis boni causâ, i. e. hospitalis. Vide porro de Ponti Etymo Minervam Sanctii, & ibi doctissimas Notas Iac. Perizonii.

Prima quæ.) Sic Naso III. Trist. Eleg. IX. v. 7.

Num rate, quæ cura pugnacis facta Minervæ,

Per non tentatas prima cucurrit aquas.

Impia deserta fugiens Medea parentem,

Dicitur his remos applicuisse vadis

11 *Patefecit.)* I. e. Aperuit viam, & iter per sinus, & undas maris.

Grajum.) I. e. Grajorum, qui sæpius mari lacessiti, ac victi classibus fuerunt.

Barbarum.) I. e. Barbaro-

rum, qui in Colchide habitabant, ad quos prima illa navi adpulit Iason, & Vellus aureum eripuit.

12 *Superbi . . . Æetæ.)* I. e. Magni, potèntis: sumitur enim hic in bonam partem.

Luget.) I. e. Acerbissimè dolet propter hanc expeditionem. Æetas enim amiserat aureum vellus, filiam Medeam, & filiam Apsyrtum.

Æetæ.) Æeta Rex Colchorum, qui per filiam suam Medeam a Iasone spoliatus fuit vellere aureo, & filiis.

13 *Regna Pelix.)* Pelias Rex Thessaliæ, patruus Iasonis fraude Medæe a filiabus occisus fuit: de quo vide Ovidium Metam. Lib. VII.

Jacent.) Eversa scilicet, nam multa mala in domum patriam intulit Medea, quum relicta patria Iasonem sequeretur, de quo videndi Poëtæ: sic Ovidius VIII. Met. 114.

. . . *Superata jacet.*

14 *Quæ sævum ingenium . . . involvens.)* I. e. Quæ Medea occultans, tegens sævum animum: eleganter: ad Virgillii imitationem, qui VI. Æn.

Obscuris vera involvens . . .

Illic per artus fratris explicuit fugam :

Hic cæde Patris Peliadum infécit manus,

Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,

Falsóque dictum: longè quia vetustior

Ægea Minos classe perdomuit freta,

15

15 *Per artus fratris, &c.)*

Occiso & dissecto fratre minori Absyrto, vel Ægypteo, & projectis per varias partes ejus membris, ut Pater Æetas, qui eam cum Iasone ex Ponto fugientem insequebatur, in illis colligendis interim immoraretur, dum ipsa interea tempus haberet elabendi: vide Ovid. Trist. Lib. III. Eleg. IX. v. 26. de Medea; & Ciceronem pro Lege Manilia, cap. IX. *Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in illis locis, quæ se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa, mærorque patrius celeritatem persequendi retardaret.*

Explicuit fugam.) Eleganter. Respectu ad oppositum involvens: vide *Judicem Philologicum.*

16 *Peliadum.)* I. e. Filiarum Pelææ, quas ad Patrem occidendum induxit, promittendo se ejus senectam renovatam esse commutato sanguine.

Infecit manus.) I. e. Maculavit manus: ordo est. *Infecit*

manus Peliadum cæde patris. Vide Ovid. *Metam.* VII. 5.

17 *Quid tibi videtur?)* Interrogat Poëta, post sublimes hós sensus, & versus, censorem aliquem, & fingit hoc quoque, quamvis scite dictum, ab illo nihilominus reprehendi, errorem temporum juxta opinionem vulgi putantibus Minoem multò prius Iasone navibus usum esse.

Hoc quoque insulsum est.) Respicit eos, qui Euripidem, ejusque imitorem Ennium, ob exordium Tragediæ, quæ Medea dicitur, carpebant.

18 *Falsóque dictum.)* Falsum est quod de Iasone adnuntiati: eam omnium primum navigationem instituisse.

Longè quia vetustior.) Lemniorum in Thraciam expeditionem describit Valer. Flaccus Lib. II. vers. 103. vide Plinium Lib. VII. cap. XVI. Stat. Theb. Lib. V.

19 *Ægea.)* I. e. Mare Ægeum, vulgò *Archipelago*, in quod Ægeus Rex Athenarum præcipitem sese dederat.

Minos.) Rex Cretæ longè vetustior Medea; nam ante illa tempora jam transierat mare

Iustoque vindicavit exemplo impetum.

20

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,

Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?

Noli molestus esse omnino litteris,

Majorem exhibeant ne tibi molestiam.

Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant,

25

Ægeum: vide doctissimorum interpretum adnotationes in Burmanni editione.

20 *Vindicavit.*) I. e. Facto recti exempli vindicavit vim & injuriam sibi factam in Androgeo filio.

Exemplo.) I. e. Supplicio, pœnâ, quæ aliis documento esset: sic Terentius Eunuch. V. V. 4.

Quæ futura exempla dicunt in eum indigna.

sic Cæsar I. B. G. *Obsides nobilissima cujusque libertos possidere, & in eos omnia exempla cruciatusque edere.*

Impetum.) I. e. Incursum piratarum: alii accipiunt de injuria, per cædem Androgei filii Minos ab Atheniensibus illata; vide Interpretes, & in iis Hesiasium.

21 *Lector Cato.*) Proverbialiter de eo dicitur, qui morositate ingenii omnia carpit, ac reprehendit, tanquam alter Marcus Porcinus Cato, qui fuit severitatis exemplum, & ideo Censorius adpellatus.

22 *Fabellæ.*) I. e. Nec minora scripta, qualia fabulosæ narratiunculæ breviores, ut Fabulæ Æsopiæ.

Fabulæ.) I. e. Majora scri-

pta, qualia narrationes graviores, & Tragediæ, seu Tragica argumenta, quorum specimen nunc proposui, quemadmodum illa de Medea.

23 *Noli molestus esse.*) I. e. Ne molestè vexa eos, qui studiis vacant; ne ipsi aliquid magis molestum, & graviolem sollicitudinem tibi importent. Minatur adversariis, si sibi scribenti molesti sial, more Poetarum.

25 *Hoc illis dictum est.*) Sic Lib. I. Fab. VII. & Fab. XXII. 10.

Hoc in se dictum debent illi agnoscere.

Lib. IV. Fab. XXII.

Hoc scriptum est tibi.

Lib. V. Fab. XXII. eodem sensu.

Illi adsignari debet hæc narratio.

Lib. III. Fab. XII.

Hoc illis narrò.

Lib. IV. Fab. XIX. 18.

Tibi dico, avaro.

Lib. V. Fab. IX. 5.

Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

Siqui stulti nauseant.) Siqui sint, quos hæc non juvant: seu qui hæc studia respuunt, parvi habent.

26 *Cælum vituperant.*) I. e.

Et, ut putentur sapere, cœlum vituperant.

FABVLA VII.

Vipera & Lima.

MORDACIOREM qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.

In officinam Fabri venit Vipera,
Hæc quum tentaret, si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contra contumax,

6

Deo ipsi faciunt convicium, & imprudentiæ ipsum accusant. Proverbialis figura de iis, qui præ nimia sapientia, vel stultitia potius, pulcherrima etiam & absolutissima taxare institunt. Græcis usitatum fuisse patet ex Suida & Zenedoto.

Hæc Fabula etiam apud Lockannum Arabem legitur, nisi quod ille felis tribuit, quod Phædrus viperae.

1 *Improbo dente.*) I. e. Temeratio, sævo, violento, audaci, plus conanti, quam decet.

Adpetit) I. e. Damnum inferre molitur ei; a quo majus sibi malum rependi potest.

Huc argumento.) I. e. Hæc narratione, hæc fabulâ. Cicero de Invent. Rhet. *Argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit:* vide Grævium in Ciceronis Orat. T. I. part. 2. pag. 276.

4 *Tentaret.*) I. e. Quæreret, circumspiceret, exploraret.

Si qua res esset cibi.) I. e. Si quid esset, quod in cibum, ad vescendum posset utile esse; si cibus quis esset. Græcorum Ironica & Attica locutio est, ut jam supra ostendimus Lib. I. Fabul. I. sic *res voluptatum pro voluptatibus* dixit Plautus Amphitr. & Virg. *Æneid. VIII. Caci mens effera*, pro *Cacus efferus*: item *Ecl. IV. Decus ævi pro ævo decoro*: alii & *ferri rigor pro ferro*: *robur aratri pro aratro*. Lucretius quoque *robur saxi pro saxo*: *rigor auri pro auro*. Statius etiam Lib. X *gloria Visi pro Niso glorioso*: vide Grævium ad Ciceronis I. in Verr. XIV.

5 *Contumax.*) I. e. Resistens, non cedens, nec morsum admittens: dicitur & de eo, qui mandatis inobediens est.

Quid me, inquit, stulta, dente captas lædere,
Omne adsuevi ferrum quæ corrödere?

FABVLA VIII.

Vulpis & Hircus.

HOMO, in periculum simul ac venit, callidus
Reperire effugium alterius quærit malo.

Quum decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine;
Devénit Hircus sitiens in eundem locum: 5
Simul rogávit, esset an dulcis liquor,

6 *Inquit.*) Scilicet, Lima ad viperam.

Stulta.) Vocativus est, & ad viperam refert, ut suprâ Lib. II. *Stulte, inquit, erras.* Et Lib. I. *At ille stultus.*

Dente.) I. e. Dentibus tuis. Synecdoche speciei.

Captas.) I. e. Tentas, quæris, conaris.

7 *Adsuevi.*) Quadrisyllabum, ut jam pluries vidimus: similis planè locus Horatii.

..... *fragili quærens illidere dentem*

Offendet solido.

1 *Callidus.*) I. e. Callidè quærit consulere sibi, etiam si alter, a quo adjuvatur, in malum ruat.

2 *Alterius . . . malo.*) I. e. Periculo alterius quærit opem, nec curat, licèt terentem eam

opem sibi videat in malum incidere.

3 *Quum decidisset.*) Paulo aliter Camerarius, quem vide Fab. IV.

Inscia.) Pro, iucautè, per Enallagen: seu, *quum ignoraret subesse puteum.*

4 *Clauderetur.*) I. e. Cohiberetur, impediretur, ne exire posset, a margine nimis alto ipsius putei. Virgiliana imitatione, qui Æn. X. sic canebat.

Ecce maris magno claudit nos abice Pontus.

Margine.) Margo putei idem ac *ripa* in flumine.

5 *Sitiens.*) I. e. Siti compulsus: sic enim Lib. I. Fab. I.

6 *Liquor.*) I. e. Aqua puteo contenta: sic Lib. I. Fab. I. *A te decurrit ad meos haustus liquor.*

Et copiosus? Illa fraudem moliens:
 Descende, amice, tanta bonitas est aquæ,
 Voluptas ut satiari non possit mea.
 Immisit se barbatus. Tum Vulpecula
 Evasit puteo, nixa celsis cornibus;
 Hircumque clauso liquit hærentem vado.

10

7 *Illæ*.) Scilicet, inquit.

Fraudem moliens.) I. e. Intenta in fraudem, quærens fallere.

8 *Descende*.) Subintellige, inquit.

Amice.) Sic Lib. III. Fabul. VII. Lupus ad Canem: *Vnde hoc, amice?*

10 *Immisit se*.) I. e. In puteum descendit.

Barbatus.) Hircus a barba, quam habet. Eleganter animalibus ab ea parte corporis, quæ maximè cognoscuntur, nomen imponitur, quod Phædro familiarare: sic *auritulus*, pro asino; *bidens*, pro ove; *laniger*, pro agno: vide Gudium, & Buchnerum. *de Commutata ratione dicendi*, p. 77. & quæ adnotavimus Lib. I. Fabul. I.

11 *Evasit puteo*.) Sic Livius L. XXI. cap. XXXIII. *Sibi quoque tendenti, ut periculo prius evaderet.*

Nixa.) I. e. Saliens innixta hirci cornibus. *Nixa* est pro in-nixa: sic Horatius Lib. III. Od. III.

Hæc arte Pollux & vagus Hercules

Enisus arces adigit igneas.)

12 *Clauso hærentem vado*.) Eleganter. I. e. Exire non valentem, ob vadum putei clausum altiore margine.

Vado.) I. e. Fundo putei: alioqui hæc vox dicitur de omni illa aqua, quæ potest vadari: unde proverbium, *Res est in vado*, i. e., salva. Terentius Andr. V. II. 4.

FABVLA IX.

De Vitiis - Hominum.

PERAS imposuit Iupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.

*Hæc re videre nostrâ mala non possumus:
Alii simul delinquunt, censores sumus.*

5

FABVLA X.

Fur Aram compilans.

LUCERNAM fur accendit ex arâ Iovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum.

1 *Peras.*) Pera est sacculus ex aluta e collo ad lumbos pendens: eo adludit Persius Satyr. IV.

2 *Dedit.*) Scilicet, ferre; hoc, est posuit post tergum eam, quæ repleta est propriis vitiis: confer sis Horatium Satyr. I. III.

3 *Gravem.*) I. e. Gravitam, vel, ut ante, repletam alienis vitiis.

4 *Hæc re.*) I. e. Ideo, seu hæc ex re, sicut dicimus quare, pro qua ex re: sic Cornelius Nepos in Datam. cap. II. Qua ex re majoribus copiis præesse cæperat: & in vita Mill. cap. IV.

Nostra mala.) I. e. Propria vitia, ut ante.

5 *Simul.*) I. e. Simul ac, statim ac alii peccant.

Censores.) I. e. Vitiis reprehensores.

1 *Fur.*) Scilicet, quidam fur, uti solet de ignotis.

Ex ara.) Vbi ignis perpetuus ardebat: sic Lib. I. Fab. XXVIII.

Vulpes ab ara rapuit ardentem facem.

2 *Ipsumque.*) Scilicet, Iovem, pro ipsius fano: notâ figurâ.

Compilavit.) I. e. Exspoliavit templum ipsius Iovis, eodem usus lumine, quod ab ara ejus

Onustus qui sacrilegio quum discederet,
 Repentè vocem sancta misit relligio:
 Malorum quamvis ista fuerint munera,
 Mibique invisà, ut non offendar subripi;
 Tàmen, sceleste, spiritu culpam lues,
 Olim quum adscriptus venerit pœnæ dies.
 Sed ne ignis noster facinori præluceat,
 Per quem verendos excolit pietas Deos,

10

acceperat. Apud Apol. dixit, *compilare domum alicujus*: sic Cicero I. de N. D. *Alii omnia, quæ possunt fava compilant*. I. e. expilant, spoliant.

Ad lumen suum.) I. e. Apud lumen suum, proprium ipsius Iovis, quod ab eo fur acceperat: sic Cicero de Har. resp. *Sua concio risit hominem*: idem noster Poëta Lib. III. Fab. IV.

Pendere ad Lanium quidam vidit Simium.

confer sis ad hunc locum Walchi observationem.

3 *Sacrilegio.*) I. e. Rebus sacrilegè ablatis ex loco sacro, seu Iovis fano.

4 *Vocem . . . misit.*) *Vocem mittere* est loqui, quod probatur est & purè Latinitatis; & etiam apud Ciceronem.

Sancta relligio.) I. e. Deus, ipse Iupiter: sic ferè Virgilius Æn. III.

Namque omnem cursum mihi prospera dixit

Religio.

supra Lib. I. Fab. XXVII.

Pœnas ut sanctæ religioni penderet.

5 *Malorum.*) Scilicet, vivo-

rum, a quibus hic appensa fuerunt.

5 *Ista*) Quæ tu abstulisti nunc furto.

Munera.) I. e. Donaria, quæ vulgò dari Diis, & in templis eorum suspendi solebant.

6 *Mibique invisà.*) Et adeò mihi invisà & ingrata, ut proinde non offendar illa a te subripi.

7 *Spiritu.*) I. e. Vitâ: sic *tuere capite*. Q. Curtius. *Luere sanguine*. Vellejus Paterculus. *Luere morte*. Cicero.

8 *Olim.*) Heic eleganter usurpatur de tempore futuro; aliàs quidem ut plurimum de præterito & longo tempore in usu est: sic Horatius. *Non si malè nunc, & olim sic erit*: exempla passim invenies.

Adscriptus.) I. e. Scriptus, assignatus, definitus, destinatus, pœnæ præscriptus a factis.

Facinori.) I. e. Ad commitendum aliud facinus.

9 *Præluceat.*) Scilicet, tibi malè agenti præluceat.

10 *Per quem.*) Scilicet, ignem pii homines pietatem suam erga Deos, qui timendi sunt, declarant.

Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flammâ Deum,
Nec de lucernâ fas est accendi Sacrum.

*Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quàm qui repperit.*
*Significat primò, scèpe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios.*
*Secundò ostendit, scelera non irâ Deum,
Fatorum dicto sed puniri tempore.*

15

11 *Veto esse tale, &c.*) I. e. Veto ultra esse in usu tale lumen, & accendi lumen profanum de igne sacro, sic fur fecerat, & contra, de lumine ignem sacrum.

Commercium.) I. e. Vsum.

12 *Ita hodie.*) I. e. Nunc etiam, hoc tempore. Patet hinc antiquitus morem fuisse, ut ignis ad sacra non accenderetur ex igne profano; sicut nec contra ignis profanus ex sacro: sumit quippe Phædrus *Lucernam* pro vulgari igne & non sacro.

De flamma Deum.) I. e. De igne sacro, seu altaris in Templis Deorum ardente. Mos antiquissimus is quidem.

13 *Sacrum.*) I. e. Sacrificium, victimas, ad quas comburendas ignem non ex colina, sed ex Cœlo petebant, quo in hoc negotio utebantur.

14 *Argumentum.*) I. e. Fabula: sic supra Fab. VII.

15 *Non explicabit.*) I. e. Non necesse erit ut explicet alius,

quia ipse, qui excogitavi, nunc facturus sum.

Qui repperit.) Se ipsum intelligit scilicet ipse Phædrus auctor ejusdem fabulæ.

16 *Significat.*) Nempe, hoc argumentum.

Quos ipse alueris.) Illos nempe, quos alueris; i. e. fovetis, ad honores promoveris: sic Cicero Lib. VII. ad Att. V. *Serò resistimus ei, quem per annos decem aluimus.*

17 *Inveniri.*) Eleganter dicitur in respectu ad inopinatum eventum: sic Terentius Eun. V. IX.

Scis Pamphilam meam inventam civem?

Contrarios.) I. e. Adversarios, hostes.

18 *Scelera, &c.*) Est doctrina Paganorum, quæ a sacris nostris litteris abhorret.

Irâ Deum.) I. e. Subito impetu iræ, & inconsideratè.

19 *Dicto . . . tempore.*) I. e. Constituto a fatiis: sic infra: *Re-*

*Novissimè interdicit, ne cum malefico
Vsum bonus consociet ullius rei*

20

FABVLA XI.

Malas esse divitias.

OPES invisæ meritò sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Cælo receptus propter virtutem Hercules,

diit hora dicta, i. e. constituta.
Terentius Andr. *Hic nuptiis dictus est dies:* sic Cæsar I. B. G. *Omnibus rebus ad perfectionem comparatis, diem dicunt, quâ die ad ripam Rhodani omnes conveniant.*

20 *Novissimè.)* I. e. Postremo, respicit enim primò & secundò quod præcessit.

Interdicit.) Nobis, vel bono: sequitur enim mox bonus: absolute sic usurpatur. Terentius Hec. IV. I.

Interdico, ne extulisse extra aedes puerum usquam velis.
hoc est, prohibeo.

21 *Vsum consociet.)* I. e. *Commercium habeat cum malefico:* sic Cicero Libro III. de Finibus. *Nec vero rectum, cum amicis aut benemeritis consociare, aut conjungere injuriam.*

Malas esse divitias.) Vide ad hoc Lemna Praschium.

1 *Opes invisæ.)* Vide Meursium, Freinshemium, Schefferum, Praschium, Gudium.

2 *Dives arca.)* Eleganter. I. e. *Plena divitis, summæ opes:* sic Cicero Parad. *Animus hominis dives, non arca, adpetlari solet.*

3 *Cælo receptus.)* I. e. *In cælum:* figurata locutio: sic Virgilius.

It clamor cælo.

pro, ad cælum. Exstat hæc Fabula etiam apud Æsopum, Fab. CXCIV.

Propter virtutem.) Bella & labores in iis exantlati viam ad cælum adstruunt: gloria enim laboris est filia. Seneca in Furente

Non est ad astra mollis e terris via.

Ipsè Hercules quoque de se Epigr. VII. post enumeratos suos labores,

Α'υτὸς ὀλυμποῦ ἴχω.

sic Apollo apud Virgilium Æneid. IX. ad Ascanium.

Macte nota virtutè puer, sititur ad astra.

Quum gratulantes persalutâset Deos;
 Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius,
 Avertit oculos. Causam quæsitivè Pater.
 Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
 Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

4 *Gratulantes.*) De adventu ipsius in Cœlum; seu, gratulantes ipsi novos istos honores: sed advertendum hic est, quam quis *gratulari* amico dicitur de re, quæ ei prospere evenierit, non aliam esse ejus locutionis & syntaxeos rationem ac significationem, quàm, pro amico & propter amicum gratias agere Diis: quo spectare potest & Terentianum istud Heaut. V. I. 6.

Ohe, jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere,

Tuam esse inventam gratiam: ubi idem videtur esse *gratulari*, quod gratias agere: quod si ita sit, non attendit Phædrus rationi, quàm usui, qui ipsos Deos gratulantes induxit: vide Iac. Perizonium ad Sanctii Minervam.

5 *Pluto.*) Plutus habitus fuit Deus divitiarum, filius Fortunæ. Inflectitur, seu dicitur *Plutus*, *Pluti*, & *Pluto*, *Plutonis*: errant qui *Plutum* a *Plutone* dis-

tingunt; nam *Pluton* est Græca, *Plutus* autem Latina vox, tuius notionis.

6 *Avertit oculos.*) Scilicet, *Hercules* a *Pluto*.

Causam quæsitivè.) Pater rogavit eum, cur oculos averteret.

Pater.) Iupiter, pater Deorum, & hominum sator.

7 *Odi . . . illum.*) Scilicet, *Plutum*.

Malis amicus est.) Activè, amans, i. e. qui amat malos, eosque favore prosequitur: sic Cicero I. Epist. VIII. *Pompejum tibi valdè amicus esse cognovi.*

8 *Objecto lucro.*) Eleganter. I. e. Objiciens & monstrans lucrum, & divitias, quarum est Deus, velut escam volucris objectam, quâ ipsi homines mali capiuntur.

Corrumpit.) I. e. Vitiat, ac contaminat omnia, dum pecunias & lucrum monstrat.

FABVLA XII.

Leo regnans.

VTILIUS homini nihil est, quàm rectè loqui:
 Probanda cunctis est quidem sententia;
 Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

Quum se ferarum regem fecisset Leo,
 Et æquitatis vellet famam consequi,
 A pristinâ deflexit consuetudine;

1 *Rectè.*) I. e. Sincerè, apertè, directè, sine ambagibus, ac sine fraude, ut ex sequentibus patet, quæ dicit de *sinceritate*: sic *rectus*, adjectivum usurpatur, et sit *simplex*, *sincerus*; Plinius II. Epist. XI. n. 5. *Novissimè consul designatus Iulius Ferox, vir rectus & sanctus*: idem VII. XXXI. 1. *Vir aliquin rectus, integer, quietus*. Oppositum hujus *rectè loqui* est *obliquè loqui*, quod passim in usum est: sic Plautus Amph. III. *Rectè loquere*.

2 *Quidem.*) Particula hæc vim habet adseverationis majoris.

Sententia.) Hæc sententia, *Vtilius homini nihil esse, quàm rectè loqui*.

3 *Agì.*) I. e. Adduci, trahi: solet in exitum præcipitari, *ad perniciem devocari*, ut loquitur Lib. I. Fabul. XX. sic Livius: *Captas mentes, velut furialibus stimulis, ad omne scelus & omnem libidinem agerent*.

Sinceritas.) I. e. Simplicitas est, aperta veritas; seu potius qui sincere, ac rectè loquitur.

4 *Quum se, &c.*) Ex hac Fabula argumentum sibi petebat Gudius, quo probet Lib. I. Fab. V. legendum esse.

Ego primam tollo, nominor quia Rex Leo.

Ferarum regem.) De majestate hujus animalis vide quæ Sanazarius in divino opere de Partu Virginis Liber I. v. 419. olim canebat.

It juxta nemorum terror, rexque ipse ferarum

Magnanimus nitet ore Leo, &c. &c.

5 *Æquitatis famam consequi.*) Vellet justii nomen ubique consequi.

6 *Deflexit.*) I. e. Mutavit antiquum feritatis morem, & vendi rationem.

7 *Inten illas.*) Sæmet, Feræ, quarum se Regem fecerat.

8 *Incorruptè.* . . . *fidè.*) I. e.

Atque inter illas tenui contentus cibo,
 Sancta incorruptâ jura reddebat fide:
 Postquam

DESUNT RELIQUA.

FABVLA XXIII.

Capellæ & Hirci.

BARBAM Capellæ quum impetrâssent ab Iove,
 Hirci mœrentes indignari cœperant,
 Quod dignitatem fœminæ æquâssent suam.
 Sinitæ, inquit, illas gloriâ vanâ frui,
 Et usurpare vestri ornatum muneris,
 Pares dum non sint vestræ fortitudinis.

Fide sincerâ, nullis, nec muneribus, nec iniis violata.

Sancta jura reddebat.) I. e. Dabat leges justitiæ & sanctitatis plenas, i. e. integras.

1 *Impetrâssent.*) I. e. Summis precibus obtinuissent.

2 *Indignari.*) I. e. Ægrè istud, & graviter ferre.

Cœperant.) Præferunt Heinsius & Gudius MSS. codicis lectionem, *cœperunt*: pari modo ac Fab. XIX. est in ultimo versus pede *abierunt*, penultima brevi: consule ad eum locum Tan. Fabrum.

3 *Dignitatem.*) I. e. Auctoritatem, quam præ ipsis fœmi-

nis ipsi habebant, ob suam barbam.

Æquâssent.) I. e. Æqualem haberent: sic Virgilius Æn. VI. *Æquatque Sichæus amorem.*

5 *Usurpare.*) Vide de significatione hujus vocis Sanctium in Minerva, & doctissimum ejus interpretem Iacobum Perizonium.

Ornatum.) I. e. Barbam, quæ putatis illas gerere non debere.

Muneris.) I. e. Mæculæ virtutis, & gravitatis: quod est, gravem esse; quò barba pertinet.

6 *Pares dum non sint*) I. e. Dum non æquet fortitudinem vestram: nam ita paulo autè.

*Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitum esse similes, qui sint virtute imparēs.*

FABVLA XIV.

Gubernator & Nautæ.

QVVM de fortunis quidem quereretur suis;
Æsopus finxit consolandi gratiâ.

Vexata sævis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrymas, & mortis metum,
Færris secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiâque nautas hilaritate extollere;

5

Gudius autem legit *vestra fortitudine* ex MSS.: sed *par*, & *dispar* tum genetivo, quum ablativo jungitur: sic Cicero in Pis. *Illum, cujus paucos pares hæc civitas tulit.*

7 *Argumentum.*) I. e. Fabula, ut supra plus semel.

Sustineas.) Absolutè. I. e. Patiaris, perferas æquo animo: sic Cicero Lib. V. Fam. X. *Si mehercules Appii os haberem, tamen hoc sustinere non possem.*

8 *Qui sint virtute imparēs.*) I. e. Te minorēs: hæc est lectio optimè emendata Heinsii; in primis quum ante pronomen relatiivum *qui* est conjunctivus.

1 *De fortunis.*) I. e. De infortuniis, de improspere successu rerum suarum. *Fortunæ* igitur hic in plurali. pro *fortuna*:

sic Terentius Andr. I. I. *Laudare fortunas meas*: sic Plautus Mil. II. I. *Postquam occasio est, conqueritur mecum mulier fortunas suas; ait sese Athenas fugere cupere.*

2 *Finxit.*) Absolutè. Scilicet, hanc Fabulam, vel hoc argumentum.

Consolandi.) Scilicet, illum, i. e. ut illum consolaretur.

3 *Vexata.*) I. e. Raptata: huc atque illuc distracta: sic apud Virgilium est *vexata ralis*.

4 *Vectorum.*) I. e. Eorum, qui navi vehebantur.

5 *Flatibus.*) I. e. Provèbientis secundis.

6 *Extollere.*) I. e. Elatos quasi & superbos reddere, tanquam nihil amplius posset accidere.

7 *Faciem.*) I. e. Speciem,

Faciem ad serenam subito ut mutatur dies.
 Factus periculatum gubernator sophus:
 Parcè gaudere oportet, & sensim queri:
 Totam quia vitam miscet dolor, & gaudium.

FABVLA XV.

Homo & Colubra.

QVI fert malis auxilium, post tempus dolet.
 Gelu rigentem quidam Colubram sustulit,
 Sinuque fovit, contra se ipse misericors.

habitum: vide Gellium Liber XIII. cap. XXVIII.

Subito ut mutatur dies.) I. e. Statim ac, præter spem, e nubiloso, ut erat serenus illucet; postquam sedatâ tempestate serenitas rediit.

8 *Periculo.*) Scilicet, in quo fuerat.

Tum.) Pro, tunc.

Gubernator.) Scilicet, navis: Nauta. Dominus navis apud Nepotem; *Auriga*, apud Ovidium.

Sophus.) I. e. Sapiens, prudens, cautus, Philosophus, & qui alios posset docere, ut liquet ex sequenti monito. Græcè σοφός.

9 *Parcè gaudere.*) Subintellege, inquit.

Sensim.) I. e. Paulatim, moderatè: ita *sensim & moderatè* junctâ Cicero in Verrin. V.

10 *Totam quia vitam.*) Quia tota vita est permixta dolore & gaudio: vide elegantissimam Pauli Æmilii Orationem apud Livium XLV. cap. XII.

1 *Qui fert.*) I. e. Qui malis fert opem, potius damnum & interitum sentit, quàm gratias.

Post tempus.) Sic Fabulâ superiori.

Post aliquod tempus alios adscribi jubent.

2 *Rigentem.*) I. e. Frigescentem: sic Iustinus Lib. II. cap. I. de Scythia ait, *eam perpetuis frigidibus rigere.*

Colubram.) Coluber & Colubra in usu sunt: vide Nasonem. Horatium, Iuvenalem.

Sustulit.) Scilicet, a terra.

3 *Fovit.*) Proprio. I. e. Calefecit: hinc *focus*: sic Q. Curtius Lib. IV. cap. IV. *Ipse tunc maximè refovebat artus.*

Namque ut refecta est, necuit hominem prótinus.
 Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
 Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

FABVLA XVI.

Vulpis & Draco.

VULPIS cubile fodiens, dum terram eruit,
 Agitque plures altiùs cuniculos,
 Pervénit ad Draconis speluncam ultimùm,

Contra se.) I. e. In perniciem suam: non absimili modo Ovidius Amor III. 8.

Contra te sollers hominum natura fuisti.

Cicero VII. ad Att. Ep. V. *Per annos decem aluimus contra nos.*

4 Refecta.) Eleganter. I. e. Recreata, quum paulò ante penè mortua esset; vires refecit.

Necuit hominem.) Gudius ex MS. legit *nocuit hominem*, quam locutionem pluribus probat.

5 Alia.) Scilicet, Colubra.

6 Ne quis discat.) Imò verò, ut quis discat non prodesse improbis; sed subintelligendum: Ne quis ab exemplo hominis, qui colubram sinu fovit, discat prodesse improbis.

2 Cuniculos.) Propriè. I. e. Fossas subterraneas: hinc *cuniculis oppugnare*: pro latenti fran-

de oppugnare: sic Cæsar L. III. B. G. cap. XXI. *Cuniculis ad aggerem vineasque actis.* Cicero III Off. *Cuniculos agit ad ararium.*

3 Draconis.) Dracones olim habiti custodes defossarum, aut reconditarum opum: sic de velere aureo: sic de pomis aureis Atlantis traditum.

Ultimum.) Pro, ad ultimam. I. e. Ultimò, tandem: sic Curtius V. XII. 8. *Darius Artabazum ultimum illum visurus amplectitur*: alii legunt *ultimam*, pro ultima speluncæ parte: quale quid in Terent. Phorm. I. IV. 38.

Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea?

Idem Heautont. I. V. 29.

Est mihi ultimis conclave in ædibus quoddam retro.

Doctissimus Hoogstraatenus ulli-

Custodiebat qui thesauros abditos,
 Hunc simul aspexit: Oro, ut imprudentiæ
 Des primum veniam: deinde, si pulchrè vides,
 Quàm non conveniens aurum sit vitæ meæ,
 Respondeas clementer: Quem fructum capis
 Hoc ex labore, quodve tantum est præmium,

nam putat esse pro *primam*,
ubi incipiebat Draconis spelunca: sic Virgilius *Æn. VII. 49.*
Tu sanguinis ultimus auctor.
 confer quæ observanda notat Walchi-
 chius.

4 *Abditos.*) I. e. Defossos,
 reconditos.

5 *Hunc.*) Scilicet, Draconem:
 Ellipticè.

Oro.) Eleganter. Simul ad-
 pexit, inquit, *Oro ut des pri-*
imum, &c. loquitur sic, veluti
 timens. Planè simili exordio Te-
 rentius *Heaut. IV. I. 10.*

Primum te hoc oro, ut quid
credas me adversum edi-
ctum tuum.

Facere ausum.

Imprudentiæ.) I. e. Mihi,
 si imprudenter, & inconsideratè
 usque in hunc locum progressa
 sum.

6 *Dcs veniam.*) I. e.
 Ignoscas, non ægrè feras.

Si.) I. e. Quoniam: nam *Si*
 confirmantis est, ut Terentius
Andr. I. V. 58.

Si te in germani fratris dile-
xi loco.

Virgilius *Æn. IV. v. 317.*

Si bene quid de te merui, fuit
aut tibi quicquam

Dulce meum.

Idem I. Georg.

Liber & alma Ceres, vestro
si munere tellus

Chaoniam pingui glandem mu-
tavit arista.

his exemplis adde illud Ovidii
VII. Metam. 832.

. . . . *Per nostri fœdera lecti,*
Perque Dcos supplex oro, su-
peros, meosque;

Per si quid merui de te bene.

Pulchrè.) I. e. Rectè adse-
 queris, apertè intelligis: sic *Fab.*
XX. pulchrè intelligo, & alibi.

7 *Quàm non conveniens.*) I.
 e. Quàm inconveniens, quàm pa-
 rum conveniens.

Vitæ meæ.) I. e. Mihi: nam
 de se Vulpis loquitur, & hæc
 veluti amoliendæ suspicionis gra-
 tiâ, & benevolentæ captandæ
 præmittit. Nosti, inquit, satis,
 non esse hoc meum institutum,
 ut cumulem mihi opes, quæ ra-
 pto vivo, & carne animantium
 vescor. Itaque quod quæsitura
 sum, non f'edò facio, tanquam
 tibi inideam hoc aurum, ipsum-
 que velim habere: dic tamen,
 si placeat, quare hoc facias, &
 opibus sic incumbas. Præschius
 autem legit *ritæ tuæ*, ut refe-

Vt careas somno, & ævum in ténébris exigas? 10
 Nullum, inquit ille: verùm hoc a summo mihi
 Iove adtributum est. Ergo nec summis tibi,
 Nec ulli donas quicquam? Sic Fatis placet.
 Nolo irascaris, liberè si dixerò:
 Diis est iratis natus, qui est similis tibi. 15

ratur ad Draconem, nec, ut Walchio videtur, malè.

10 *Ævum in ténébris exigas.*) I. e. Ætatem aut vitam tuam in speluncis exigas.

11 *Nullum.*) Scilicet, est mihi præmium; nullum inde fructum capio.

Ille.) Scilicet, Draco.

Summo.) I. e. Magno, maximo, ut Fab. XVII. Iupiter est Deorum summus.

12 *Adtributum est.*) I. e. Injunctum, impositum est, velut munus peculiare: sic Cicero pro Rosc. *Timor, quem mihi natura pudorque meus adtribuit.*

Ergo.) Verba sunt Vulpis, quibus Draco respondet, *Sic fatis placet.*

Sumis tibi.) I. e. Nec sumis tibi quicquam, hoc est, capis in tuos usus, impendis: ait Vulpes rursus ad Draconem, & ille ad eam. sic Plautus Bacchid. IV. IV.

Sed lubet scire, quantum aurum herus sibi demsit. Item mox. *Decumam partem ei dedit. sibi novem abstulit.*

13 *Sic fatis placet.*) I. e. Dis sic visum est, qui mihi hoc

adtribuerunt, quasi diceret, ut Fab. XVIII.

Fatorum arbitrio hæ partes sunt mihi datæ.

14 *Nolo irascaris.*) Vulpis sunt verba. Formula est excusantis libertatem. Tiberius apud Suetonium XXIX. *Ignoscas, rogo, si quid adversus te liberius, sicut senator, dixerò.*

15 *Diis est iratis natus.*) I. e. Inimicis, adversantibus diis: sic dicebant veteres, gnari nimirum Deum illis, quos punire vult, sanam mentem, & consilium eripere: quem in sensum Horatius II. Sat. III. v. 7.

.... *immeritusque laborat*
Iratis natus paries Dis atque
Pœtis.

Et alibi.

Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.

Tales formulæ sunt & apud Terentium, Phorm. IV. III.

Satin' illi Dii sunt propitii? & Andr. IV. I. 40.

.... *Nescio, nisi mihi Deos satis*

Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.

*Abiturus illuc, quò priores abierunt,
Quid, mente cæcâ miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, gaudium hæredis tui,
Qui thure superos, ipse te fraudas cibo;*

Et sic alii passim: quin & nos-
ter supra Lib. II. Fabula IX.

*Sinistra quos in lucem natura
extulit.*

Qui est similis tibi) I. e.

Qui sic sine ullo usu bona multa possidēt.

16 *Abiturus illuc.*) I. e. O tu, qui moriturus es, sicut mortui sunt priores. Phædrus hic facit idem, quod solebant veteres in conviviiis, ubi hortatur, ut fruerentur rebus lætis, convivas admonebant brevitatis vitæ, & impendentis mortis. *Abire* hic est pro mori: sic enim simpliciter loquebantur veteres ad vitandam inauspicatam mortis vocem. Plautus dixit Prol. Casin. 19. *Abire in communem locum*: idem alibi, *Ad plures se penetrare*. Catullus, *Ire*.

*Illuc, unde negant redire
quemquam.*

Priores.) I. e. Qui fuerunt ante te, & excedere tamen vitâ coacti sunt.

17 *Mente cæcâ.*) I. e. Mente obcæcatâ, aut obaubilatâ ab avaritia.

Torques.) I. e. Crucias, vexas: ait Vulpis.

Spiritum.) Sic eleganter, ubi sermo est de molesta, & miserabili vita: sic Livius Lib. XXXII.

Perire ipsis semel satius, quam

sub acerbissimî carnificis arbitrio spiritum ducere.

18 *Tibi dico.*) Formula indignationis sic Terentius Andr. IV. V. 23.

Tibi ego dico, an non?

Idem Adelph. I. II. 16.

.... hæc quum illi Mitio

Dico, tibi dico.

simile quid vide infra Lib. V. Fab. IX.

Gaudium hæredis tui.) Scilicet, Quo mortuo gaudebunt tui hæredes, quod sibi tot bona reliqueris, qui eisdem deinde fruentur.

19 *Qui thure superos.*) Scilicet, Qui per avaritiam tuam nec offers thus, & munera Diis; quæ scilicet pecuniâ sunt emenda: & tuæ non satisfacis necessitati, & appetitui.

Ipse te.) Ita legitur: venustius enim sic constituitur versus & oratio *Ipse te fraudas cibo*, certè Tullianæ est elegantie, non *ipsum te*: omnes autem Codices, *ipsum te*.

Te fraudas cibo) I. e. Ipse defraudas genium tuum: sic enim Terentius Phorm. I. I. 19.

Quod ille uncialim vix demerso de suo,

Suum defraudans genium, comparsit miser.

*Qui tristis audis musicum citharæ sonum ;
 Quem tiliarum macerat jucunditas ;
 Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt ;
 Qui, dum quadrantes adgeras patrimonio ,
 Cælum fugias sordido perjurio :*

20

sic est fraudare natos lacte supra Lib. III. Fab. XV.

Fraudas.) Optimè, respectu & debiti naturalis, & persuasionis propriæ, velut circumveniret ventrem commodi majoris gratiâ, sic dictus Enclio apud Plautum Aul. IV. IX. v. 14.

.... *Egomel me defraudari, Animumque meum, geniumque meum.*

20 *Qui tristis audis.*) I. e. Qui cum tristitia, & animi ægritudine doles citharæ sonis aliquid impendi.

21 *Quem.....macerat.*) I. e. Quem macrum reddit, & consumit jucunditas illa, quæ in cantu tiliarum est, quia illis aliquid impendi debebat: nam in funere veteres tibiis utebantur: sic Ovidius Trist.

Tibia funeribus convenit ista meis.

22 *Opsoniorum.*) *Opsonia*, seu *Obsonia* propriè sunt, quæ ad pacem vescenda dantur: confer Horatium Sat. III. Lib. II.

Pretia.) Illis impendenda: nimia eorum caritas tibi gemitum exprimit.

Gemitum exprimunt.) Phrasia Lucretiana: L. III. 494.

Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore Afficiuntur; &c.

23 *Quadrantes.*) I. e. Nummos minimos, ut sit sensus, talem vel oboli gratiâ perjurium committere.

Adgeras.) I. e. Accumulas, adjungis: sic Lusitanicè dicimus, *amontoar riquezas*: supra Prol. Lib. III.

..... *Qui magnas opes Exaggerare quærit omni vigiliâ.*

Terentius, ut modò vidimus, dixit, *Vncialim comparcere*: sic Horatius II. Od. III.

.... *Et exstructis in altum Divitiis polietur hæres.*

Patrimonio.) Propriè illa bona, quæ a parentibus hæreditate ad nos redierunt, patrimonio dici merentur, sed & quodcumque ex quæstu & opere nostro vel aliunde obvenit, eo nomine donotatur.

24 *Cælum.*) I. e. Deos assidue tuis perjuriis, ob sordidum lucrum, Incessis, ipsis te invisum faciens: sic Petronius XLIV. *Nemo cælum putat*: sed Virgilium respexisse puto, qui sic Æn. I. de Iunone.

*Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciebat lucrum.*

FABVLA XVII.

PHÆDRVS.

QUID iudicare cogitet livor, modò
Licet dissimulet, pulchrè tamen intelligo.
Quicquid putabit esse dignum memoriæ,

*Quæ mare nunc terrasque me-
tu cælumque fatigat.*

Servius: *Fatigat*, pro exercet, sollicitat, commovet.

Sordido perjurio.) Ob rem levem, vilem, & sordidam, i. e., avaritiam: solent nempe avari etiam minimæ pecuniolæ causâ pejerare.

25 *Circumcidis.*) I. e. Removes, nullam impensam facis.

26 *Libitina.*) Mors ipsa, seu illi, qui in Templo Libitinæ, funerum Dææ, ea vendunt, aut locant, quæ ad funus, & ad sepulturam spectant. Servius Tullius in Templum hoc Libitinæ certum nummum pro quolibet defunctu inferri jussit, ut testatur Dionysius Halicarnasseus Lib. IV.

De tuo.) Eleganter. Scilicet, Censu, i. e. ex re tua, bonis tuis, impensis: sic Terentius Adelph. I. II. 37:

Opsonat? potat? olet unguenta? de mio.

Plautus Bacch. I. I.

Facere sumtum de tuo.

Livius. . *Decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.*

1 *Cogitet.*) I. e. Velit, constituat, meditetur, quærat facere: sic Cicero III. Offic. *Qui alteri nocere cogitat; &c.*

Livor.) I. e. Homines livore affecti: lividi, & maligni:

Modò.) Temporis adverbium est. Scilicet, licet modò, sive nunc dissimulet, etiamsi non statim indicet, dum & scribo, faciet olim: sic Terentius Adel. III. I.

Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum.

2 *Pulchrè.*) I. e. Probè, apertè.

3 *Dignum memoriæ.*) Est Græcismus, quo non tantum Poëtæ, sed solutæ quoque orationis scriptores utebantur: sic Balbus Ciceroni Libro VII. ad Attic. *Obseca te, mi Cicero, sus-*

Æsopi dicet: si quid minùs adriserit,
 A me contendet fictum quovis pignore. 5
 Quem volo refelli jam nunc responso meo:
 Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus;
 Invenit ille, nostra perfecit manus.
 Sed exsequamur cceptum propositi ordinem.

cipe curam & cogitationem dignissimam tuæ virtutis. Virgilius Æn. XII. v. 649.

Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.

Infra tamen Prol. Lib. V.

Dignam longâ memoriâ: hæc que de causa hæc alii legunt: *dignum memoria.*

4 *Æsopi dicet.*) I. e. Dicit id esse ab Æsopo excogitatum, scriptum.

Si quid minùs adriserit.) I. e. Minùs placuerit, minùs dignum memoriæ visum fuerit.

5 *Contendet.*) I. e. Constantè dicet: studium summum persuadendi notat hæc vox: sic Cæcilius. Ep. XII.

Quovis Sabinum pignore esse contendunt.

Fictum.) I. e. Inventum fuisse a me.

Quovis pignore.) Scilicet, posito.

6 *Quem.*) I. e. Eum, qui sic dicet, ac contendet.

Volo.) Bene. sic Plautus Bacch. IV. IV. *Res ita est, dici volo.* Cicerò Att. II. *Misi librum ad Muscam, ut tuis librariis daret: volo enim cum divulgari.*

Refelli.) I. e. Confutari in eo, quod invidiosè judicat.

Iam nunc.) I. e. Statim, jam ex hoc tempore. *Iam nunc* elegans est particula, pro qua barbarè Latinè loquentes dicunt, *ex nunc:* sic Cicero I. Ver. 13. *Quæ quum cogito, jam nunc timéo:* vide Latinæ Orationis Particularum collectionem a me conscriptam: cap. LXXI. n. 5. sic Virgilius I. Georg. 9.

... *Et votis jam nunc assuesce vocari.*

7 *Opus.*) Scilicet Fabularum, quod scribo.

8 *Invenit ille.*) Scilicet, Æsopus. Idem dicit Prol. Lib. I.

Æsopus auctor quam materiam reperit,

Hanc ego polivi versibus senariis.

sic de Homero, & Virgilio, & ferè in universum de Græcis & Latinis eruditi judicant.

Nostra perfecit manus.) I. e. Mea. Synecdoche generis: scilicet ego autem Phædrus polivi, & absolvi.

Perfecit.) I. e. Consummavit, absolvit.

9 *Sed exsequamur.*) I. e. Sed pergamus in proposito nos-

FABVLA XVIII.

Naufragium Simónidis.

HOMO doctus in se semper divitias habet.

Simónides, qui scripsit egregium melos,
 Quò paupertatem sustinéret faciliùs,
 Circumire cœpit urbes Asiæ nobiles,
 Mercéde pactâ laudem victorum canens.

tro, & ad exemplum talis fabulæ seramur.

Propositi.) Scilicet, illius; quod mihi ego proposui, & assumpsi.

1 *Homo doctus.*) Vide non dissimilia huic Fabulæ de Aristippo Philosopho, in Erasmi Apophth. Lib. III. Philosophicè hoc intelligendum est, quatenus opponitur iis, quæ sunt extraneos: ita Plautus in Amphit. *Vir-tus omnia in se habet*: vide Stoicos passim.

2 *Simonides.*) Poëta Lyricus a Ceo Insula, filius Leoprepis, qui quæstui poesia habuit, & hac arte vitam sustentavit: consule Vossium de H. G. IV. 6. Inventor artis memorandi fuit, teste Cicerone in Orat. cap. LXXXVI. & de Finibus II. cap. XXXII.

Melos.) I. e. Suavissimum Poëma, carmen, versus Lyricos. *Pegaseum melos* apud Persium in Prologo.

3 *Quò paupertatem sustine-*

ret.) I. e. Quò faciliùs victum quæreret.

4 *Circumire capit.*) I. e. Circumit: sic solet Phædrus loqui, ut non uno loco jam vidimus. *Circumire*, dicitur proprie de iis, qui incerto & instabili vivendi genere utuntur, ut ferè mendici: sic Cicero ad Atticam *Antonii consilia narrabat, illum circumire veteranos. Circumire urbes*, est ire circum urbes.

5 *Mercéde pactâ.*) Scilicet, Constitutâ mercéde, ac præmio: sic optimè Heinsius, quem vide: pro quo vulgò *acceptâ*: nem est *præmium pactum* Lib. I. VIII.

Laudem victorum.) Vel simpliciter, *victores canens*: sic enim simpliciter *canere* in usu est apud Poëtas. Horatius Epod. Od. IX.

Galli canentes Cæsarem.
 & in Odarum Libris.

Dom meam canto Lalagen.
 Virgilius Ecl. VI. 3..

Quum canerem reges & prælia.

Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio.
(Erat autem natus, ut ajuunt, in Ceo insula)
Adscendit navem, quam tempestas horrida,
Simul & vetustas medio dissolvit mari.

10

& initio Æneidos.

Arma, virumque cano.

Victorum.) Scilicet, in Ludis Olympiis Græcorum: sic C. Nepos in Præfatione. *Magnis in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari.*

6 *Postquam locuples factus est.*) Sic Horatius de eo,

Paupertas impulit audax.

Simonidem ut versus faceret. quod ei melius cessit, quam videbatur patri Nasonis, filium ab hæ arte deterrenti his verbis:

... Studium quid inutile tentas?

Mæonides nullas ipse reliquit opes.

7 *Venire, &c*) I. e. Redire voluit in patriam.

Cursu pelagio) I. e. Per pelagus. *Cursus* hic dicitur de navigatione in mari: licet quoque de vehiculo dicatur; quomodo Virgilius Æn. III.

Namque omnem cursum mihi prospera dixit

Relligio.

Pelagio.) I. e. Pelagi, æquoreo. Valerius Flac. I Argon.

Et dedit æquoreos cælo duce tendere cursus.

& Publius Syrus apud Petron.

Matrona ornata phaleris pelagiis.

8 *In Ceo insula.*) Insula Asiæ in mari Ægeo, e regione Halicarnassi, una Cycladum, propè Atticam, quæ vocatur quoque *Coos*, item *Cos*: de hac confer Plinium Lib. V. cap. XXXI. sic Ovidius.

Cingitur Ægeo nomine Cea mari.

unde illud est Horatii.

Cææ retractes munera nenæ.

i. e. *Simonideæ*: intellexit autem Horatius eum Simonidis Librum, cui *Sponos* seu *Lamentationes* nomen erat: ad quem respiciens Catullus dixit: *Mæstius lacrimis Simonideis.*

9 *Adscendit.*) *Lege, Escendit*: sic Terentius Adelph. IV. V. 69.

Abit, perit, navem adscendit.

Tempestas horrida.) Ex Horatio Epod. XIII.

Horrida tempestas cælum contraxit.

10 *Vetustas.*) Scilicet, ipsius navis.

Dissolvit.) I. e. Fregit in partes in medio mari: sic Ovidius *Trist.*

Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
 Subsidium vitæ. Quidam curiosior,
 Simónide, tu ex opibus nil sumis tuis?
 Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tum pauci enatant.
 Quia plures onere degravati perierunt. 15
 Prædones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit,
 Nudos relinquunt. Fortè Clazomenæ propè
 Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.

Ne temerè in mediis dissolvantur aquis.

Dissolvere propriè dicitur de navibus fractis, quia & contexi dicuntur, cujus hoc est oppositum.

11 *Hi.*) Scilicet. Qui unà vehebantur in navì.

Zonas.) In quibus repositas olim habebant pecunias.

12 *Subsidium vitæ.*) Pro, In subsidium vitæ, ut subsidium aliquod haberent: sic Tacitus I. Ann. III. § *Augustus subsidia dominationi Cl. Marcellum curuli ædilitate, M. Agrippam geminatis consulatibus extulit.*

Quidam curiosior.) Scilicet, nimiam sibi de alienis rebus curam sumens, conversus ad Simónidem ait: ita Lib. III.

Quidam e turba garrulus.

Curiosi.) vocantur, qui solliciti sunt de aliis.

14 *Mecum.*) I. e. Apud me. optimè: similis est historia Bianthis, quam Cicero refert in Parad. I. cap. II. ubi Bias inquit: *Ego verò facio: nam omnia mea porto mecum.* Respexit Virgilium suum, qui sic *Æa.* IV.

Mecum erit iste labor. etiam Terentius hoc modo *Adel.* IV. II.

Enatant.) Bene, ut de naufragis. Scilicet, Natando sibi consulunt. Virgilius de naufragio *Æneæ*, divini operis Lib. I. *Apparent rari nantes in gurgite vasto.*

15 *Onere degravati.*) Scilicet, rerum, quas collegerant, & asportabant.

Perierunt.) Sic rectè Hænsius, & alii viri docti, penultima correptâ; sed Walchius legit: *perierant.*

16 *Quisque extulit.*) Scilicet, eorum, qui enataverant, subduxit ab undis; e mari scilicet & naufragio: absolutè. Cicero VII. ep. XVIII. *Iam ista tua culpa est, qui verecundiam tecum extuleris, & non hic nobiscum reliqueris.*

17 *Clazomenæ.*) Vrbs Ionisæ maritima, vulgò *Vrla.*

18 *Antiqua fuit urbs.*) Verba sunt Virgilii I. *Æa.*

Vrbs antiqua fuit.

Quam petierunt naufragi.) I. e. Quò se naufragi contulerunt.

Hic litterarum quidam studio deditus,
 Simonidis qui sæpè versus légerat,
 Eratque absentis admirator maximus,
 Sermone ab ipso cognitum, cupidissimè
 Ad se recépit; veste, nummis, familiã
 Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
 Portant, rogantes victum. Quos casu obvius

20

25

19 *Hic litterarum quidam.)* Sic ferè Lib. V. Fab. I.

In quis Menander, nobilis comædiis,

Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,

Et admiratus fuerat ingenium viri.

20 *Simonidis.)* Lege, *Simonidi*, pro *Simonidei*: sic *Auson. Musa Simonidei*; sic *Achillei, & Ulyssæi, &c.*

21 *Eratque absentis admirator.)* Scilicet. Et admiratus erat ingenium Simonidis, quum is adhuc abscesset, neque eum unquam vidisset.

22 *Sermone ab ipso.)* Vulgò ex sermone; i. e. ex colloquutione: sed & sic *Virgilius Æn. II. Crimine ab uno Dis omnes.*

Ipsò.) Est emphaticum. vult, priusquam indicaret nomen suum, cognitum fuisse

23 *Familiã.)* I. e. *Servis*: ita supra Lib. III. Fab. XIX. *Æsopus domino solus quum esset familia.*

24 *Hominem.)* I. e. *Simonidei*.

dem: significat hæc vox quasi commiserationem infortunii, ut supra Lib. II. Fab. II.

Capillos homini legere capere invicem.

Exornavit.) I. e. Instruxit. sic *Plinius Lib. XXX. cap. I. Ostanes, comitatu ejus exornatus.* Cicero simplici est usus in *Cat. II. Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus sis.*

Tabulam suam.) Scilicet, naufragii. Naufragi enim stipem ostiatim corrogare solebant, in tabula quadam depictum habentes naufragii sui casum ad aliorum commiserationem commoventam: vide *Horatium I. Od. V. & ibi Interpretes*; *Iuvenalem Sat. XII., Persium Sat. I.*

Portant.) Alii legunt *Portant* pro *Porrigunt* per *Ecthli-* quam lectionem confirmat hoc *Virgillii exemplo Æn. II. 274.*

Cingula fronde comas, & pectus argente dextris.)

25 *Quos casu obvius.)* I. e. Quibus obviatus factus *Simonides*

Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
 Mecum esse cuncta: vos quod rapuistis, perit.

FABVLA XIX.

Mons parturiens.

MONS parturibat, gémitus immanes ciens;
 Eratque in terris maxima exspectatio.
 At ille murem péperit. *Hoc scriptum est tibi,*
Qui magna quum minaris, extricas nihil.

26 *Vt vidit.*) I. e. Postquam, seu statim ac vidit.

Dixi.) Nonne videtis an verè dixerim, mea, &c. Alii interrogativè volunt exprimi, ut sit, *nonne dixi?* sed eodem recidit.

27 *Rapuistis.*) I. e. Cum tanta festinatione, tam sollicitè e naufragio collegistis: sic loquitur ad innuendam festinationem in eo negotio.

Perit.) Pro *peritit*, metri causà quod rapuistis peritit vobis, perdidistis quod extuleratis.

1 *Mons.*) Confer Camerarium Fab. CCV.

Parturibat.) Scilicet, Laborabat doloribus vicini partus. Confer Virgilium *Æn.* VI. 468. sic *audibam* Ovid. *Epist.* XVI. 36. adde Vossium *Lib.* III. de *Anal.* 34.

Ciens.) I. e. Edens. sic Virgilius *Georg.* III.

Extremosque ciet gemitus.

2 *In terris.*) I. e. inter homines.

Maxima exspectatio.) Scilicet, De immani aliquo foetu; seu exspectabatur aliquid grande & magni eventus: sic loquitur in re, magnum & memorabilem eventum habitura; sic C. Nepos Alcib. VII. *Tant fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus conflueret perinde ac si solus advenisset.*

3 *At ille murem; &c.*) Sic Horatius de *Arte Poetica*,

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Minaris.) I. e. Promittis. *Catalchresis.* Horatius.

Atqui vultus erat multa & præclara minantis.

Extricas nihil.) *Elegan. gr.* I. e. Efficis, producis, absolvis, perficis, expedis. *Metaphorica est locutio.* sic Horatius *I. Serm. Sat. I.*

Mercedem aut nummos unde extricat.

FABVLA XX.

Formica & Musca.

FORMICA, & Musca contendebant acriter,
 Quæ pluris esset. Musca sic cœpit prior:
 Conferre nostris tu potes te laudibus?
 Vbi immolatur, exta prægusto Deum.
 Moror inter aras, templa perlustrô omnia:
 In capite Regis sedeo, quum visum est mihi,
 Et matronarum casta delibo oscula:
 Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.

1 *Formica.*) Vide Camera-
 riam Fab. CCXII.

Contendebant.) Absolutè. I.
 e. Certabant inter se: sic Virgi-
 nus VII. Ecl.

*Hæc memini, & victum frus-
 tra contendere Thirsin.*

2 *Quæ pluris esset.*) L. e.
 Quenam earum pluris (scilicet,
 pretii res per Ellipsin) facienda
 esset. Cicero præ Rosc. *Multo
 pluris est nunc ager, quàm
 tunc fuit, pro, est pretiosior.*

3 *Conferre nostris; &c.*)
 Walchius legit: *Conferri*, (id
 est, comparari) *nostris num te
 potes laudibus.*

4 *Vbi immolatur.*) Absolutè,
 I. e. Quoties immolatur aliqua
 victima; seu ubi victima mola
 salsa conspergitur: hoc enim est
immolare: sic Cicero II. Divin.
*Quum pluribus Diis immola-
 tur, qui tandem evenit, ut li-
 tetur aliis, aliis non litetur?*

Prægusto.) I. e. Ante omnes

alios gusto exta victimæ Diis
 consecratæ.

5 *Moror.*) I. e. Commoror,
 habito, vivo: confer Suetonium
 Neron XXXIII.

Inter aras.) I. e. In aris:
 sic Plautus Aul. II. V.

Inter vias, i. e. in via.

7 *Matronarum casta oscu-
 la.*) Hypallage, pro, *matrona-
 rum castarum oscula.*

Oscula.) I. e. Parva ora.
 Ovidius Metam Lib. I. de
 Daphne.

.... *Videt igne micantes*

*Sideribus similes oculos, vi-
 det oscula; quæ non*

Est vidisse satis.

Et propriis Virgilius Æneid. I.
Oscula libavit nate

8 *Laboro nihil.*) I. e. Nul-
 lam rem laboro, ab omni labore
 sum libera: malim cum Heinsio,
Nihil laboro; quod reddit ver-
 sum ornatiorum: præterea sequi-
 tur statim, *Nihil laboras: sic*

Quid horum simile tibi contingit, rustica?

Est gloriosus sanè convictus Deum,

10

Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.

Reges commemoras, & matronarum oscula:

Ego granum in hiemem quum studiosè congero,

Te circa murum video pasci stercore.

Aras frequentas; nempe abigeris, quò venis:

15

Nihil laboras; ideo, quum opus est, nil habes.

Superba jactas, tegere quod debet pudor,

Cicero XVI. Ep. IV *Nihil laboro, nisi saluus sis.*

Optimis rebus fruor.) I. e. Delicatissimis, lautissimis. Bonæ res sunt, quæ faciunt ad bene & lautè vivendum. C. Ne-
pos Agesilao, cap. ult. *Quo facto, eum Barbari magis etiam contemserunt, quod cum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sunsisse arbitrabantur:* idem Att. XIII. *Omnibus rebus optimis usus est.*

9 *Rustica.*) I. e. O Formica, quæ nunquam inter talia, sed ruri, & in campis assidue versaris, seu vitam degis, dum ego versor in oppidis & templis.

10 *Est gloriosus.*) Respondet Formica: sic Cicero sæpe. *Magnificum & gloriosum.*

Convictus Deum.) I. e. Ves-
ci simul eisdem cibus cum Diis. *Convictus* usurpatur de iis, qui eamdem mensam nobiscum edunt. Quum ergo aræ dicantur men-
æ decrum, possunt illi, qui ex illis vescuntur, dici esse convictores Deorum.

11 *Qui invitatur.*) Scilicet, ad mensam Deorum, non ei, qui odio habetur, & quum se ipse infert, inde abigitur. *Anta-naclasis* hic est venusta in *invitatur, invisus.*

13 *Ego.*) Confer Ælian. V. H. I. IV.

In hiemem.) I. e. Hiemis causâ; seu in cibum tempore hiemis. Ea significatio hujus particulae est apud Terentium And. II. II.

Pisciculus minutos ferre obolo in cœnam.

14 *Murum.*) Scilicet, Civitatis, seu Domorum in plateis, ac in locis abditis, & vilibus.

15 *Aras frequentas.*) I. e. *Moraris inter aras,* ut supra.

Nempe.) At enim, at scilicet. *Abigeris.*) Scilicet, ex omni loco, quò venis.

Quò venis.) I. e. In quemcumque locum, quoquo, quocumque venis.

17 *Superba jactas.*) Scilicet, Tu quoque, superba musca, ista de te gloriaris, quæ potius

Æstate me lacessis: quum bruma est, siles.
 Mori contractam quum te cogunt frigora,
 Me copiosa recipit incolumem domus.
 Satis profectò retudi superbiam.

20

*Fabella talis hominum discernit notas
 Forum, qui se falsis ornant laudibus,
 Et quorum virtus exhibet solidum decus.*

FABVLA XXI.

Simonides a Diis servatus.

QUANTUM valerent inter homines litteræ,
 Dixi superiùs: Quantus nunc illic honos

pudore adducta, silentio debe-
 res involvere; nimirum quod in
 capite Regum sedéas, & deli-
 bes matronarum oscula.

18 *Quum bruma est.*) Quum
 hiems advenit. *Bruma* dicitur
 dies solstitii hiemalis, quod ac-
 cidit die 20 aut 21 Decembris.

19 *Contractam.*) I. e. Iner-
 tem & inhabilem ad volandum
 a frigore; complicatum, convo-
 lutam: ad Virgilii imitationem
 ex IV. Georg. ubi de apibus 259.

*Ignavæ fame, & contracto
 frigore pigræ.*

& in eodem Libro v. 295.

*Exiguus primum, atque ipsos
 contractus ad usus.*

Eligitur locus . . .

20 *Copiosa.*) I. e. Omni re-
 rum copiâ instructa.

21 *Retudi.*) I. e. Refutavi.

22 *Fabella talis.*) Hæc ni-
 mirum.

Notas.) I. e. Signa, indicia,
 characteres: sic Seneca Epist.
 XCVI. *Signa cujusque virtutis
 & vitii, ut notas reddentem.*

24 *Et quorum.*) I. e. Et
 eorum hominum, quorum vir-
 tus: &c.

Solidum decus.) I. e. Decus
 verum, perfectum, sincerum,
 firmum, infucatum: opponitur
 falsis laudibus.

1 *quantum valerent.*) I. e.
 Quantas divitias scilicet homo
 doctus in se semper haberet, ut
 dixi superiùs.

2 *Superiùs.*) In Fabula
 XVIII. superiùs exposita, in
 qua retulit Simónidem naufragum
 invenisse Clazomense vi-
 rum, qui hunc exceperit, or-

A superis sit tributus, tradam memoriæ.

Simónides idem ille, de quo rettuti,
Victoris laudem cuidam pycetæ ut scriberet,
Certo condixit pretio; secretum petit.
Exigua quum frenaret materia impetum,
Vsus Poëtæ, ut moris est, licentiâ,
Atque interposuit geminâ Ledæ sidera,

naveritque rebus omnibus, ob
illius peritiam, singularemque
eruditionem.

Nunc.) Conjungendum cum
tradam.

Honos sit tributus)
Sic tribuere honorem Lib. I.
Fab. VII. quem locum adi.

3 Tradam memoriæ.) I. e.
Prodam, posteritati relinquam.

5 Laudem.) Scilicet, talem,
qualis victoribus tribui solebat,
qui vicissent in spectaculo so-
lemni.

Pycetæ.) I. e. Pugili victori
coronato. *Pycetos & Pycetæ* est
pugil, quamquam vox Græca
πυκτης latius pateat, quàm
Latina *pugil* quod eruditè Gu-
dius ostendit.

6 Condixit.) I. e. Promisit
pelenti: alii legunt *conduxit*.

Certo pretio.) Nam, ut vidi-
mus, quæstui artem suam ha-
buit.

*Mercede pactâ laudem violen-
tium canens.*

Secretum.) Scilicet, Locum
solitarium studio, meditationi,
ac versibus faciendis aptum: sic
Ovidius Trist. Lib. I.

*Carmina secessum scribentis
& otia querunt.*

Petit.) Pro, *Petitit*, ut in
priori Fabula de Simonide *perit*.

*7 Exigua quum mate-
ria.)* Materia laudis, quæ so-
lùm erat in illo Pugili, non si-
nebat libero mentis impetu dif-
fusiùs evagari, sicut in amplis
argumentis.

Frenaret.) Metaphora. I. e.
Cohiberet, propter suam exigui-
tatem: sic Cicero Verr. V. *Ejus
animi conscientia sceleris fre-
nabat.*

8 Vsus poëtæ licentiâ.)
I. e. Poetica libertate: sic *Seri*
solet, usus est, quam veniam
dixit Horatius in Lib. de Arte
Poet.

*. Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit
æqua potestas,*

*Seimus, & hanc veniam peti-
musque, damusque vicissim.*

Pt moris est.) Sic Cicero ci-
tato jam loco. *In quo multa or-
nandi causa Poetarum more
in Castorem scripta & Pollu-
cem.*

9 Atque interposuit.) I. e.
Inter ea, quæ ad propositam
Pugilis materiam pertinebant,
immiscuit laudi Pictæ, posuit
geminâ sidera, Castorem & Pol-

Auctoritatem similis referens gloriæ.

10

Opus adprobavit; sed mercedis tertiam

Accépit partem. Quum reliquum posceret:

Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis duæ.

Lucem, Ledæ filios inter sidera
adscriptos: ita supra Lib. II.
Prol. *Interponere aliquid dicto-
rum.*

Sidera.) Pertinet ad gemina:
non enim erant Ledæ sidera,
sed filii, qui simul fuerunt side-
ra, Geminiq, itemque Castor &
Pollux vocata: sic de his Hôra-
tius Odor. Lib. I. III.

*Sic fratres Helenæ lucida si-
dera,*

Ventorumque regat pater.

10 *Auctoritatem &c.*) Scilli-
cet, Castoris & Pollucis, qui
similem in Pugilatu gloriam ade-
pti fuerant; ac per comparatio-
nem istam cum hæc victoria,
auctoritatem fuisse majorem illi.

Referens.) I. e. Commemo-
rans; de narratibus, propriè:
supra Lib. I. Fab. II.

*Æsopus talem tum fabellam
rettulit.*

& in Fabulæ hujus initio.

*Simonides idem ille, de quo
rettuli.*

11 *Opus adprobavit.*) Ille Si-
monides opus laudis victori ad-
probavit, qui operam ejus sub
certo pretio, sen mercede con-
duserat: alii referunt hæc verba
ad Pyctam, quasi is opus Si-

monidis laudis adprobasset; sed
jam Interpretes, ut Walchius do-
cet, observârunt, quod hæc ver-
ba solemnia fuerint, eaque hoc
sensu.

12 *Reliquum.*) (Vox quadri-
syllaba per diæresin obversum.)
I. e. *Reliqua*, seu *Reliquias*,
quia tres partes fuerunt, idque
ob tres laudis partes, *Pyctæ*,
Castoris, & *Pollucis*, sed quum
tantum a Pyctæ tertiam partem
mercedis accepisset, duæ adhuc
restabant, scilicet *Castoris* &
Pollucis: hinc paullo post Py-
ctæ ait: *Illi reddent*, reliquas
duas partes mercedis, *quorum
sunt laudes duæ.*

13 *Reddent.*) Remittit Simo-
nidem ad eos, velut debitores
ad solvendum paratos.

Duæ.) Scilicet, *Partes lau-
dis*, ut sensus sit. Illi, i. e.
Castor & Pollux, quos nunc me-
cum laudavisti, & quorum igitur
duæ reliquæ partes lauda-
tionis, reddant tibi, quod pos-
tulas; ego enim, quod pactus
sum pro mea parte, selvi. Fa-
ber legit non ita malè:

*Illi, inquit, reddent, quo-
rum sunt laudes, duæ.*

14 *Ne iratè.*) Ut sciam, ut

Verùm, ne iratè dimissum te sentiam,
 Ad cœnam mihi promitte, cognatos volo
 Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
 Fraudatus quamvis, & dolens injuriã,
 Ne malè dimissam gratiam corrumpere,
 Promisit. Rediit horã dictã, recubuit.
 Splendebat hilare poculis convivium:
 Magno adparatu læta resonabat domus:

15

20

certus sim, te non iratum, & offensum abiisse, nam si non promitteret, iratum inde colligeret Simonidem. Heinsius,

Verùm ne ingrato te demissum sentias.

15 *Ad cœnam mihi promitte.*) I. e. Promitte mihi, te cœnam a me instructam esse celebraturum. Formula est invitantium: sic Plinius Epist. XV. Lib. II. *Heus tu promittis ad cœnam, nec venis.*

16 *Quorum es in numero mihi.*) Scilicet. Ego te pro tali habeo, ego te inter cognatos meos numero: adeo non debes de ita quadam mea in te suspicari. Olim quum alicui adblaudiebantur, eum patrem, fratrem, &c. vocabant: inde ille adolescens apud Terentium Phorm. III. II. II.

Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus.
 nec multum abit a more nostratum.

Mihi.) I. e. Apud me, &c.

17 *Fraudatus quamvis.*) I. e. Quamvis Simonides justã & pactã mercede destitutus.

18 *Malè.*) Refertur ad corrumpere. *Malè corrumpere* est imprudenter, & cum suo detrimento corrumpere, vel perdere. Sensus est, ne malè, i. e. cum suo detrimento corrumpere gratiam, si eam dimitteret, ac recusaret oblatam, scilicet ire ad cœnam: sic Livius XXVI. 20. *Tandem majore gratiã, quã venerat, clausis dimissa est.*

19 *Rediit.*) I. e. Iterum Simonides accessit, venit denuò domum ipsius Pugilis.

Horã dictã.) I. e. Constitutã.

Recubuit.) I. e. Accubuit ad cœnam: consedit ad mensam. sic Horatius I. Epist. I.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis.

21 *Resonabat.*) Sic. Virgilius Æneid. XII. v. 607.

..... *Resonant lætè clangoribus ædes.*

iterum: Æneid. I. v. 729.

Repentè duo quum juvenes, sparsi pulvere,
 Sudore multo diffuentes corpora ; -
 Humanam supra formam, cuidam servulo
 Mandant. ut ad se provocet Simonidem, 25
 Illius interesse ne faciat moram.
 Homo perturbatus excitat Simonidem.
 Vnum promòrat vix pedem triclinio,
 Ruina camaræ subito oppressit ceteros :
 Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam. 30
 Vt est vulgatus ordo narratæ rei.

*Fit strepitus tectis, vocemque
 per ampla volutantæ.*

Atria.

22 *Repentè duo quum &c.)*

I. e. Quum improvisi adsunt
 duo juvenes; &c. Confer Insti-
 tum Lib. XX. III.

Sparsi pulvere.) I. e. Per to-
 tum corpus perfusi; seu *decoro
 pulvere sordidi*, ut phrasi Ho-
 ratiana utamur.

23 *Sudore multo diffuentes
 corpora*) Quoad corpora, more
 Græcorum: supra Lib. IV. Fab.
 XIV. *Vbi inrigatus multo ve-
 nas nectare*: sic Plinius Lib.
 XXI. c. XIII.

Nap̄ & sudore diffuunt.

24 *Humanam supraformam.)*

I. e. Eximiâ magnitudine, ut
 in Instino, loco citato: sic ferè
 de Diis loquuntur, ubi se conspi-
 ciosos præbent hominibus.

25 *Provocet.)* I. e. Ex interio-
 riore convivio foras vocet: sic
 Plautus in Pseud. *Hercus si do-
 mi est tuus, quis provocas*. Te-
 rentius Eunnuc. III. 1.

*Pamphilam cantatum provoce-
 nus.*

confer ibi Donatum, & quæ ob-

servanda adjunxi in Lusitanica
 ejusdem Terentii Editione novis-
 simè publici juris facta.

26 *Faciat moram.)* I. e. Mo-
 retur, cesset.

27 *Homo.)* I. e. Servulus.

Excitat Simonidem.) I. e.
 Extra eum vocat. Nam *citare*
 est vocare.

28 *Promòrat.)* Per Synco-
 pem, pro promovemat; vix po-
 suerat pedem e triclinio: sic Te-
 rentium Eun. V. III.

*Moveo, video, sed nihil pro-
 moves.*

Triclinio.) *Triclinium*, ii,
 neutrius generis: hic sumitur pro
 conclavi & cœnatione ipsa, &
 pro adparatu quoque ad cœnam.

29 *Ruina camaræ.)* *Camara*
 fornix est, sive tectum fornicata-
 tum, Græco *Καμάρα*.

30 *Ad januam.)* *Ad* loci de-
 signat propinquitatem: vide Li-
 brum. I, Fab. XIII.

31 *Vt est vulgatus ordo.)* I.
 e. Statim ac, Postquam hæc
 res rumore cognita, distincta,
 clara & liquidè exposita in no-
 titiam aliorum pervenit.

Ordo narratæ rei.) I. e. Se-

Omnes scierunt Numinum præsentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

FABVLA XXII.

Pœta.

SUPERVNT mihi quæ scribam, sed parco sciens:
Primùm tibi esse ne videar molestior,
Distingit quem multarum rerum varietas:

ries rei. Notat maxima minima-
que distinctè exposita: sic Te-
rentius Adelp. III. IV. 1.

*Omniem rem modò sent,
Quo pacto haberet, enarramus
ordinè.*

Suetonius Claud. XXXVII. *Nec
dubitavit Claudius ordinem rei
gestæ perferre ad senatum.*

32 *Scierunt.*) Scire est co-
gnoscere, intelligere, prout sæ-
pe apud Plautum & Senecam
occurrit.

Numinum.) I. e. Deorum,
Castoris & Pollucis. *Numinum
præsentiam,* i. e. Deos præ-
sentes.

33 *Vati.*) I. e. Simonidi
pœtæ.

Dedisse vitam.) I. e. Incolu-
mem eum servasse, quum reli-
qui perirent.

Mercedis loco.) Quam convi-
vator soluerat solvere, dicens
reddendam esse a Diis, quorum

laudes in carmine celebraverat
Simonides.

1 *Quæ scribam.*) I. e. Quæ
possim scribere.

Parco.) Scilicet, scribere:
quomodo Virgilius III. Æn.

Parce pias scelerare manus.

Sciens.) I. e. Scienter, ac
datâ operâ illa omitto, præte-
reo; ne sim molestus tibi, &
Eutyche.

Distingit quem, &c.) I. e.
Quem occupatum habent multa
diversi generis negotia; seu, cu-
jus animum in diversas partes
distrabit; &c. sic, Plinius Pa-
negr. XCIV. 2. *Non te dis-
tingimus votis.* Idem Lib. VII.
epist. XV. n. 1. *Distingor ef-
ficio:* confer Q. Curtium Lib.
III. III. 4. Cicero in Ep. ad
Q. Frat. *Sic habeto, nunquam
me a causis & judiciis distri-
ctiorem fuisse.*

Dein si quis eadem fortè conari velit,
 Habere ut possit aliquid operis residui. 5
 Quamvis materiæ tanta abundet copia,
 Labori faber ut desit, non fabro labor.
 Brevitâti nostræ præmiûm ut reddas, peto,
 Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem;
 Nam vita morti propior est quotidie. 10
 Et hoc minus usu veniet ad me muneris,
 Quò plus consumet temporis dilatio:
 Si citò rem perages, usus fiet longior:
 Fruar diutiùs, si celerius cœpero.
 Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquæ, 15
 Auxilio locus est: olim senio debilem.
 Frustra adjuvare bonitas nitetur tua,

4 *Dein si quis; &c.*) Altera causa, cur residua scribere parcam, est, ut illi qui fortè eadem Fabulas conscribere velit, aliquod argumentum, aliquid materiæ relinquam.

5 *Aliquid operis residui.*) I. e. Aliquid operis a me relictum, quod ille proseguere possit.

7 *Labori faber ut desit.*) I. e. Ut potius artifex seu scriptor desit, qui laboret in hac materia, & eam perficiat, quàm desit materia ipsi scriptori: idem ordo & usus verborum est in illo Ciceronis de Offic. Libro I. Cap. XXXIX. *Ornanda est dignitas domo, non ex domo tota querenda; nec domo dominus, sed domino domus honestanda est.*

9 *Exhibe vocis fidem.*) I. e. Præsta fidem ipso opere, & re-

ipsâ, quam voce, verbis, ac sermone promisisti.

11 *Et hoc minus.*) I. e. Ex hoc ipso minus uti poterò tuo munere, quo magis differes illud mihi conferre.

Vsu) De usu muneris loquitur, & ob brevitatem vitæ citò expediendum, esse promissum beneficium monet, ut eo uti possit longius.

12 *Quo plus.*) Quo diutiùs hæc differes.

Temporis.) Respicit plus, quod præcedit.

13 *Vsus fiet longior.*) I. e. Diutiùs uti poterò.

15 *Ævi dum sunt.*) I. e. Dum adhuc superest aliquid vitæ: sic Valerius Maximus Lib. VI. cap. II. *Robustas senectutis reliquias.*

Quum jam desierit esse beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.

Stultum admovère tibi preces sexcenties,
Proclivis ultro quum sit misericordia.

Sæpe impetravit veniam confessus reus,
Quantò innocenti justius debet dari?

Tuæ sunt partes, fuerunt aliorum prius,
Dein simili gyro venient aliorum vices.

Decerne quod religio, quod patitur fides,

20

25

16 *Senio debilem.*) Scilicet
Quum fuero debilitatus senio.

18 *Beneficio utilis.*) I. e.
Quum tua beneficia prodesse
mibi amplius non poterunt. Sic
Martialis. *Nec inutilis annis.*
Cicero. *Et suis & publicis ra-*
tionibus utilis.

19 *Flagitabit debitum.*) I.
e. Exposcet vitam, quam illi
omnes debemus: scilicet

Debemus morti nos nostraque.

20 *Sexcenties.*) I. e. Plu-
ries; jam semel atque iterum
opem tuam imploravi: quid stul-
tius certè est, quàm sexcenties
id te rogare? *Sexcenties* pro
Pluries passim invenitur apud
auctores; per Synecdochen,
quum numerus finitus pro infi-
nito ponitur. Plautus Menechm.
V. IV.

Quin suspirabo plus sexcen-
ties in die.

21 *Proclivis ultro.*) Absolu-
tè. I. e. Facilis, & prona,
nullo etiam rogante.

22 *Confessus reus.*) I. e.
Delictum suum confessus: sic Ci-

cero pro Ligario, cap. I. *Ha-*
bes igitur, Tubero, quod est
accusatori maximè optandum,
constantem reum.

23 *Quantò innocenti, &c.*)
I. e. Quanto majore jure debet
dari venia innocenti?

24 *Tuæ sunt partes.*) I. e.
Ad te nunc pertinet; te dacet
exemplum dare aliis bene de
operè meo judicandi: seu, *Tuæ*
primùm sunt partes officii; ut
innocentiam meam adjuves, dein-
de aliorum, qui sequantur tuum
exemplum. Locutio quidem pe-
tita a scenicis, quorum cuique
sua sunt partes datæ: sic Te-
rentius Prolog. Phorm.

Primas partes qui aget, is
erit Phormio-
Parasitus.

25 *Simili gyro.*) I. e. Inde
sequentur alii suo loco & tem-
pore, & ordine.

Aliorum vices.) I. e. Ad
alios simili modo spectabit.

26 *Decerne.*) I. e. Fer eam
sententiam, quam, salvâ fide
boni judicis, ferre potes.

Et gratulâri me fac iudicio tuo.
 Excedit animus, quem proposuit, terminum;
 Sed difficulter continetur spiritus,
 Integritatis qui sinceræ conscius,
 A noxiorum premitur insolentiis.
 Qui sint, requires: adparebunt tempore.
 Ego, quondam legi quam puer sententiam:

30

Patitur.) I. e. Permittit.

27 Fac.) I. e. Fac me gaudere, & mihi ipsi gratulari ob tam faventem tuam in causa mea sententiam.

Iudicio tuo.) Potest etiam esse datus, ut sensus sit: Fac me gratulari, i. e., gratias agere iudicio tuo: nam sic *Tò gratulari* usurpari monuimus jam hujus Libri Fab. II.

28 Excedit.) I. e. Petit animus meus multo majora, quam sibi proposuerat.

Quem proposuit.) I. e. Quem sibi proposuit animus meus.

29 Difficulter continetur.) I. e. Egredere a querelis sibi temperat innocens afflictus: sic Plautus *Aurhit*.

.... *Quæ non deliquit, decet Audacem esse, confidenter pro se, & protervè loqui.*

Cæcilius Statius; Innocentia eloquentia est.

Spiritus.) Eleganter, in respectu ad illam vehementiam commotionis, ob injuriam acceptam.

30 Integritatis qui sinceræ conscius.) I. e. Qui conscius suæ innocentiae: sic apud Horatium in *Odis*.

Integer vitæ, scelerisque purus.

Noxiorum.) I. e. Potentium virorum, qui multa, & gravia inferrè moluntur, eorum certè, qui nocere possunt: sic supra *innoxius*: respicit fortè. *Sejanum*, quem sibi accusatorem, testem ac judicem simul fuisse, conquestus est supra *Prol. Lib. III*.

Insolentiis.) Plurali numero est usus, ut augeat mali magnitudinem, & sic miserationem facilius inveniat.

32 Qui sint, requires.) Rogabis fortè, qui sint, qui mihi tam malè velint: sed scies id suo tempore, quum ipsi se prodent.

Tempore.) Pro in tempore: sic *Cicero Offic. II. Ad canam tempore venit*. Et *Lib. VII. Ep. X. ad Treb. Renovabo commendationem, sed tempore*: adde *Vossium de Constr. cap. LXVI. Plenâ locutione dixit Terentius Heaut. II. II. In tempore ad eam veni*.

33 Ego quondam, &c.) I. e. Ego, dum ero sanâ mente, meminero sententiam, quam,

*Palam mutire plebeio periculum est :
Dum sanitas constabit, pulchrè meminero.*

EXPLICIT LIB. IV.

quum essem puer, quondam legi apud Ennium: sic Iuvenalis VIII. 125.

Quod modò proposui, non est sententia: verum

Credite me vobis solum recitare Sibyllæ.

34 *Palam mutire, &c.*) I. e. Periculosum est viro plebeio etiam submissâ, & imperfectâ voce fabulari.

Mutire.) I. e. Loqui.

35 *Dum sanitas constabit*) I. e. Dum sanitas constabit mihi, dum ero sanâ mente prælitus, tamdiu cautè ac prudenter

revocabò in memoriam hanc sententiam.

Sanitas.) Absolutè pro *Ratione*: Cicero Epist. Famil. ad Coss. *Quibus ad sanitatem redeundi potestas facta est: pro, ad bonam mentem.*

Meminero.) Ita legendum. Futurum est Indicativi: sic Cicero Accus. III. in Verr. cap. LXX. *Sed ego habeo rationem auctoritatis meæ: meminero, quo animo, quo consilio ad causam publicam accesserim; non agam tecum accusatoricè: nihil fingam.*

PHÆDRI AVG. LIB.
FABULARVM

LIBER QVINTVS.

PROLOGVS.

AD

PARTICVLONEN.

QUUM destināssem operis habere terminum,
In hoc, ut aliis esset materiæ satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.

1 *Quum destināssem.*) I. e. Quum mihi proposuissem facere finem harum Fabularum. Citat Gudianus hunc versum inter eos, in quibus *m* non eliditur: nimirum ita dimensus est, opinor, ut tertiâ sede sit tribrachys, quartâ anapæstus: sed fallitur. *M.* hic commodè absorbetur cum præcedente vocali: tota res patet, si tribrachys sit tertio loco, quarto verò jambus: adeoque accenseri debet hic versus iis, in quibus leges carminis jambici accuratius, quàm in his Libellis solet fieri, sunt servatæ. Margini codicis, quo usus fuerat Hoogstratenus, a manu viri docti adscriptum est, siye sit conjectura, siye emendatio sibi repta:

Quum destināssem operis facere terminum.

quod admitti potest, si *Tò m*, ut nonnunquam fit, sustineat syllabam. Lege sis quomodo hospites versus constituat Barthius Lib. XXX. Advers. cap. XXII.

Operis habere terminum.) Vox *habere* de fine & termino hoc sensu non dicitur, sed propria est *constituere, statuere.*

2 *In hoc.*) I. e. Ob hoc, ad hoc, hoc fine, sed ad hunc finem, ut alii haberent materiam efficiendi idem: sic Vell. Paterc. L. II. cap. XLI. *In hoc scilicet, ne suspectus his foret.*

3 *Consilium damnavi.*) I. e. *Repudiari consilium, quod primum intenderam*, ut cum Terentio loquamar; Andr. IV. III.

Nam si quis talis etiam est tituli *artifex*,
 Quo pacto divinabit, quidnam omiserim,
 Vt illud ipsum cupiat famæ tradere:
 Sua cuique quum sit animi cogitatio,
 Colorque proprius? Ergo non levitas mihi,
 Sed certa ratio causam scribendi dedit.
 Quare, Particulo, quoniam cæperis fabulis,

5

10

4 *Si quis talis etiam, &c.*) I. e. Si quis vult effingere, aut esse auctor Fabularum, quæ sub titulo hujus Libri continentur; si quis vult scribere Fabulas, quomodo divinare poterit eas, quas ego omisi, ut non alias scribat potius, quas ipse fingat, diversas longè ab iis, quas omitto? sed de loco tam mendoso & mutilo videantur Interpretes.

Talis tituli.) I. e. Hujus generis scribendi: nam *stilus* non tantum significat structuram verborum, sed etiam ipsum genus seu formam orationis: sic dicimus, alium esse stilum oratoris, alium poetarum, alium philosophorum.

5 *Quidnam omiserim.*) I. e. Quasnam fabulas omiserim scribere.

6 *Vt illud ipsum, &c.*) I. e. Quomodo cupiam eum tradere famæ posterorum eas ipsas Fabulas, quas ille pro me supplet. Ita hunc versum legit Faber & Schefferus cum aliis, ideoque haec lectionem retinendam cum valchio censui.

7 *Animi cogitatio.*) I. e. Pe-

culiaris, ac propria idea, stilus, elocutio.

8 *Colorque proprius.*) Sensus est: habet quisque suam indolem, suum ingenium, suam scribendi rationem, nec bene supplet quæ alii omiserunt.

Levitas.) I. e. Inconstantia; resiliendo a proposito, & mutando consilium: *Levitas* est, quum repentino impetu & sine ratione certa, veluti vento, rapitur animus atque inpellitur in aliquid: sic supra Lib. IV. Prol.

Ioculare tibi videtur & sanè leve.

9 *Certa ratio.*) Sic eadem ferè, significatione Ovidius in Fastis Lib. III. v. 62.

At tu, seu ratio nostris adpulit oris,

Sive Deus.

Causam scribendi.) Scilicet, alias etiam fabulas.

10 *Particulo.*) Nomen proprium illius, ad quem scribit. Nonius: *PARTICVLONES dicti sunt cohæredes, quod partes patrimonii sumant*: id quod firmat auctoritate Pomponii.

Quas *Æsópeas*, non *Æsópi* nomino:
 Paucás ostendit ille, ego plures disseram,
 Vsus vetusto genere, sed rebus novis.
 Quarum libellum dum tu variè perleges,

11 *Quas Æsópeas.*) I. e. Ad imitationem *Æsópi* confictas, non ab ipso sic exaratas. Sic potiùs legimus com Gudio, quàm *Æsopias*: ita Lib. I. Prol.

Æsópus auctor quam materiam repperit,

Hanc ego polivi versibus senariis.

12. *Paucas ostendit ille.*) Sic de eadem re suprâ Libro IV. Fab. XX.

Invenit ille, nostra perfecit manus.

Ego plures disseram.) I. e. Ego plures scribam, & versibus exornabo.

13 *Vsus vetusto.*) I. e. Vsus antiquo more, viâ, ratione scribendi, sed argumentis, ac rebus novis.

14 *Quarum.*) I. e. Fabularum, quæ proximè præcedunt: sic rectè sagacissimus Gudio emendavit, & emendationis rationes adtulit: antea vitiosè editum fuerat,

Quartum libellum dum tu vacivè perleges.
 cui lectioni obstat ratio metrica.

Libellum.) Sic vocat totum hoc opusculum suum, ut Lib. I. Prolog.

Duplex libelli dos est.

& Lib. IV. Fab. VI.

Parod libellum sustine patientiâ.

sensus sic se habet: Mi Particulo; quoniam *Fabulæ* te delectant, quas *Æsópi* ad exemplum a me confictas, rectiùs *Æsópeas*, quàm *Æsópi* nomino; quoniam ille paucas tantùm ostendit, ego tuæ in spem gratiæ vetusto illo scribendi genere, sed rebus, *Fabulisque* novis usus, plures ejusmodi fingo, disseroque: quarum *Libellum* dummodo tu, ut *flosculos* apicula, latè & variè perleges, nunc his, nunc illis ex floribus, omnia libans, sic verba mea in tuas chartas transferes.

Tu.) Opponitur tu maligno obtrectatori, de quo statim.

Variè.) Ita intellige, ut superiori notâ declaratum est, ut tanquam apes ex floribus delibando omnia, mea verba in chartas transferas, licet malignus eas obtrectet. *Walchius* pro *variè* legit *vacivus*, perin te ac si *Phædrus* legeret *vacuus* a negotiis, a curis; sed confer sis *Fabrum*, *Schefferum*, aliosque qui contra *Rigaltii* lectionem stant. *Aures* *vacinas* dixit *Plautus* *Prològ. Casin.* & *Trin.* ut observat *Is. Neveletus*.

Hunc obtrectare si volet malignitas,
 Imitari dum non possit, obtrectet licet.
 Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
 Vestras in chartas verba transfertis mea,
 Dignumque longâ judicatis memoriâ.
 In litterarum ire plausum desidero.

15

20

11 *Malignitas.*) I. e. Invidi,
 & maligni homines. Sic antè *Livor*
 pro livido. Epil. Lib. II.

Si livor obtrectare curam vo-
luerit.

16 *Imitari dum non possit.*)
 Sensus est; per me licet, ut mali-
 gni homines hunc librum detrec-
 tent, dum imitari non possint.

17 *Quod tu, quod similes*
tui.) I. e. Tu, & præstantes
 viri, ac litterati similes tui. Sic
 Cicero VIII. ad Att. IX. *Quan-*
tò autem ferociùs ille causæ
sux confidet, quum vos, quum
vestri similes non modò fre-
quentes, sed læto vultu gratu-
lantes viderit?

18 *Transfertis.*) I. e. Ex-
 cerpitis e scriptis meis senten-
 tias. quas imitemni: & ad ex-
 emplum nostrum in chartis ves-
 tris exprimitis.

20 *In litterarum.*) I. e. Lit-
 terarum: sic emendavit Gudius.
 alii ita legunt:

Inlitteratum plausum non de-
sidero.

de varia hujus versus lectione,
 confer Burmannum, Walchium,
 & Hoogstratum cum doctissi-
 mo Pacciolato: sic Valerius Ma-
 ximus Lib. II. cap. IX. *Ipsæ*
medius fidius mihi litteræ secu-
li nostri obstupescere videntur.
 noster Lib. IV. Fab. VI.

Noli molestus esse omnino lit-
teris.

id est, litteratis hominibus.

Plausum.) Nihil moror ob-
 trectantium malignitatem, neque
 desidero imperitorum hominum
 laudes, & adplausus, seu ad-
 probationem litteratorum homi-
 num promereri cupio: sic cum
 Walchio versum sic legas,

Inlitteratum plausum non de-
sidero.

cum ipso oportet etiam hoc mo-
 do interpretari: Satis mihi est,
 si tu tantum, Particulo, libel-
 lo meo faveas: illiteratorum enim,
 & qui litteris rudes sunt, plau-
 sum, studium, favorem, gratu-
 lationem de hoc ingenii mei fos-
 tu non desidero.

POETA.

ÆSOPI nomen sicubi Interposuero,
 Cui reddidi jam pridem, quicquid debui,
 Auctoritatis esse scito gratiã:
 Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
 Qui pretium operibus majus inveniunt, nove
 Si marmori adscripserunt Praxitelem suo,
 Myronem argento. Plus vetustis nam favet

1 *Æsopi nomen; &c.*) I. e. Si interdum dixero Æsopum hoc, aut illud fecisse; hanc, vel illam Fabulam recitasse. Hoc enim hic est *Interponere*, nomen scilicet ejus addere, inserere fabulæ.

2 *Cui reddidi.*) I. e. Æsopo, & ejus nomini.

Quicquid debui.) Scilicet, Laudis, & meriti, intelligit; eas ait reddidisse, quia sub ipsius nomine in præcedentibus proposuit.

3 *Auctoritatis.*) I. e. Vt majorem laudem, & adprobationem recipiant Fabulæ a me conscripse; seu, ut mihi scribenti major inde nasceretur auctoritas.

Gratiã.) Causa, i. e., ob majorem auctoritatem.

4 *Nostro seculo.*) Scilicet, Quo jam vivo.

5 *Inveniunt.*) Eleganter: ad notandam excogitationem doli, ac commenti, quomodo apud Terentium Geta in Phor IV. III.

Inveni, opinor, remedium huius rei.

6 *Praxitelem.*) I. e. Praxitelis nomen. Statuarius fuit multi nominis, marmoreis signis faciendis nobilis; ideo insculpunt Statuarii hujus nomen, ut credatur opus illius.

7 *Myronem.*) Argentarius nobilis & insignis: sic Juvenalis Satyr. VIII. v. 102.

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis, Phidiacum vivebat, nec non Polycteti

Mullus ibique labor: rara sine Mentore mensæ.

Argentõ.) I. e. Argenteis signis, ex quibus, ut æreis faciendis, illustre nomen consecutus est Myron.

Facet.) Abusivè; I. e. Minus nocet: vide quæ alibi jam monui: confer Vell. Paterculum II. cap. XCII. 4.

Invidia mordax, quàm bonis præsentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

FABVLA I.

Demetrius & Menander.

DEMETRIUS, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim & certatim ruunt:
FELICITER, subclamant. Ipsi principes

8 *Invidia mordax.*) I. e. Invidi homines minus nocent bonis vetustis, quàm, &c. vidimus jam passim: sic Terentius Eun. III. III. 20.

... *Invidere omnes mihi, Mordere clanculum.*

9 *Talis exempli.*) Quod probare possit sententiam de invidia dictam.

1 *Demetrius.*) Orator fuit, & Philosophus eximius, dictus Phalereus a Phalero portu Athenarum, nunc *Porto-Leone*: hic a *Cassandro* rege Macedoniæ Athenis præfectus est & tantis meritis in Republicam clarus fuit, ut plus quàm tercentis staturis Athenienses ipsum honestarent: sic *Tepos* *Miltiad.* cap. VI. *Idem ille populus* (Atheniensis) *posteaquàm majus imperium est nactus & largitione magistratum corruptus est, tercentas staturas Demetrio Phalereo decrevit.* Tandem verò in

invidiam eorum graviter incidit, & exsul ad *Ptolemæum Lagi*, Ægyptium regem, se recepit, a quo liberalissimè tractatus fuit. *V. Ælian.* V. H. III. 17., & *Diogenem Laertium* in hujus Demetrii vita.

2 *Imperio improbo.*) I. e. Injusto, contra leges, hoc est; factus est tyrannus.

3 *Ruunt.*) Intellige, homines eleganter ad exprimendum cæcum & immoderatum studium. cæterum sic absolute posuit &. *Virgilius* *Æn.* IV. *Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque ruuntque*: quàm malè *Grammatici* negabant verba non ad famam pertinentia (ad famam verò pertinent, *ajo, sero, prædico, perhibeo.*) posse usurpari sine supposito, multis exemplis docet *Sanctius* in *Minerva*, & ad eum *Cl. Perizonius*.

4 *Feliciter.*) Solemnis adclationis formula: quidem per

Illam osculantur, quâ sunt oppressi, manum, 5
 Tacitè gementes tristem fortunæ vicem.
 Quin etiam resides & sequentis otium,
 Ne defuisse noceat, reptant ultimi,
 In quibus Menander, nobilis comœdiis,

Tralationem: sensus autem sic se habet. Omnes summo, ræcoque studio adcurrunt, & felicia omnia augurantur Demetrio, ut fieri solet in adclamationibus: sic Vell. Paterculus Lib. II. XXXII.

1. de Q. Catulo. *Et quum adjecisset, si quid huic acciderit, quem in ejus locum substitutis? subclamarit universa concio, Te, Q. Catule:* confer Brissonium de Form. Rom.

Ipsi principes.) I. e. Præcipui, & insigniores cives, quomodo *principes Atheniensium* apud Nepotem in Cimone, cap. III. Valchius legit *principis*, scilicet, Demetrii Phalerei: videant Professores doctissimi.

6 *Tacitè gementes, &c.*) Scilicet, ob tristem fortunam: omisit præpositionem *Ob*, quæ per Ellipsis necessariò subaudiatur. Non enim ausi sunt palam queri de miseranda rerum suarum immutatione: ita ferè de iisdem Atheniensibus, quum ibi rerum potiretur Pistratus, Lib. I. Fab. II.

Hinc conspiratis factionum partibus

Arcem tyrannus occupat Pistratus.

Quum tristem servitutem fletent Attici,
Non quia crudelis ille; sed
Quoniam grave
Omne insuetis onus, & captissent quæri, &c.
Vicem.) I. e. Immutationem rerum.

7 *Resides.)* I. e. Desides, nihil publicè agentes, *sequentes otium*, ut ipse exponit, i. e., & otio dediti inter ultimos se conferunt ad osculandam manum tyranni, ne defuisse huic officio, eisdem noceat: sic Virgilius *Æn. VI.*

Olia qui rumpet patriæ, residuesque movebit.

8 *Ne defuisse noceat.)* Nempe sibi; hoc est, periculum adferat, tanquam contemnerent novum regem: alii in *defuisse* suppleri volunt officio, ut sit, non fecisse officium.

Reptant.) I. e. Lento gradu accedunt: sic Terentius *Adelph. IV. VI. 3.*

Perreplavi usque omne oppidum, ad portam, ad lacum.

9 *In quibus.)* I. e. Inter quos ultimos veniebat Menander. Elegans quidem hujus præpositionis *In* notio, quum idem significat,

Quas, ipsum ignorans, légerat Demetrius,
 Et admiratus fuerat ingenium viri:
 Vnguento delibutus, vestitu adfluens,
 Veniebat gressu delicato, & languido.
 Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
 Quisnam cincinnus ille in conspectu meo

10

15

a'que præpositio *Inter*. Sic Ne-
 pos in *Milt. Et in eis erat Mil-
 tiades.*

Menander.) Atheniensis Poë-
 ta, Comitorum princeps: sic de
 eo *Vellejus Paterc. I. XVI. 3.*
Ac novam comicam Menandrus,
æqualesque ejus ætatis, magis
quàm operis, Philemen, ac Di-
philus, & invenere intra paucis-
simos annos, neque imitanda
reliquere: hinc adde A. Gel-
lium XVII. IV. & alios, quos
vir doctissimus Clericus adlegat,
qui, aliquot abhinc annis, Me-
nandri & Philemonis reliquias
cum notis H. Grotii edidit.

Nobilis comædiis.) I. e. Co-
 mædiis a se scriptis clarus scri-
 psit autem *CVIII. Comædias,*
& epistolas ad Ptolemæum Re-
gem, & alias plurimas oratio-
nes prosæ.

10 *Ipsam ignorans.*) I. e.
 De facie ipsum Menandrum non
 agnoscens: sic Nepos Aristide I.
Respondit se ignorare Aristi-
dem; sic Chremes Terentii. Et
me ignoras, Clinia: & statim
apud hunc: Ut possis alios igno-
rantes fallere: quod explicatur
 Horatii loco *Satyr. I. III.*

..... *Heus tu,*
Quidam ait, ignoras te? an
ut ignotum dare nobis
Verba putas?

11 *Et admiratus fuerat,*) Vi-
 de *Lib. IV. Fab. XXI*

Viri.) Dignitatem hic notat
 hæc vox.

12 *Vestitu adfluens.*) I. e.
 Vestitu fluxiore, & laxiore incen-
 dens, more divitum. Quod Lu-
 sitanicè ita sonat: *Caminhando*
com hum vestido roçagante: si-
 milis Locutio est in *Propertio*
Lib. II. Eleg. XXII.

Ostrina quam fuit in turica:
 sic Horatius adversus Menam.
Cum bis sex ulnarum toga.

13 *Gressu delicato, & lan-*
guido.) I. e. Molli, & effemina-
 nato: huc illud reptare potest
 pertinere.

14 *Extremo agmine.*) I. e.
 Inter ultimos.

15 *Quincm.*) I. e. Quo pa-
 cto, quâ fronte? ita legendum
 censeo cum *Fabro, & aliis ve-*
tustioribus.

Cincinnus ille.) I. e. Ille mol-
 lis & effœminatus.

In conspectu meo.) Pro, *In*
conspectum meum: sic Cicero.

Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim.

.....

—♦—

FABVLA II.

Viatores & Latro.

VIAM expediti pariter carpebant duo;
Imbellis alter, alter at promptus manu.
Occurrit illis latro, & intentans necem

Veni in Senatu: sic & alii boni Scriptores nonnumquam loquuntur: & contra in verbis non significantibus motum accusativus subinde usurpatur: sic Terentius Eun. II. II. 29.

Ille ubi miser famelicus videt me esse in tantum honorem. ita enim optimi habent codices, non tanto honore.

16 *Proximi.*) Scilicet, illi, qui ex amicis, vel ministris circa Demetrium proximiores ipsi erant.

17 *Hic est Menander.*) Formula demonstrativè usurpari solita in laudem alicujus: sic Martialis Lib. V. Epigr. XIII.

Sed toto legor orbe frequens, & dicitur HIC EST.
& Horatius Lib. IV. Od II. ad Melpomenem,

*Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium.*

Romæ fidicem Lyre.
Confer illustrationes ad hunc lo-

cum nostra in novissima Lusitana Q. Horatii Flacci editione: sensus Phædri igitur est: *Hic est eximius ille Poëta Menander, qui tot Comædiarum est auctor.*

Scriptor.) Sic secundum excellentiam vocari Comicos Poëtas censet Rittershusius: sic. Donatus Prol. Adelph. *Indifferenter omnis, qui aliquid se ipsis set, scriptor a veteribus dicebatur.* Ita belli Trojani scriptor apud Horatium legitur de Homero. Cicero *Lysiam* oratorem *vetustissimum scriptorem* nominat: similia de Historicis leguntur.

Quia hæc Fabula caret principio, visum est primos hos quinque versus, licet aliunde suppletos in gratiam adolescentiæ studiosæ præmittere.

1 *Expediti.*) I. e. Sine impellimentis.

3 *Intentans necem.*) I. e. Mortem minitans.

*Aurum poposcit. Audax confestim irruens
Vim vi repellit, ac ferro incautum occupat.*
Et vindicavit sesse forti dexterâ.
Latrone occiso, timidus adcurrit cōmes,
Stringitque gladium, dein, rejectâ penulâ:
Cedo, inquit, illum, jam curabo, sentiat,

4 *Audax.*) Scilicet, Ille ex duobus, qui erat audax, irruens in latronem.

5 *Incautum occupat.*) I. e. Minus advertentem occidit.

6 *Et vindicavit.*) Malim, si liceat, hoc pacto:

Sessequē forti vindicavit dextera.

sic enim grātius fluet versus.

7 *Timidus adcurrit.*) I. et Qui timidus erat antè, & atabat e longinquo, nunc adcurrit.

8 *Rejectâ penulâ.*) I. e. Rejectâ post tergum, ne libertatem brachii, manusve impediret, ut expeditior esset ad pugnam: est enim gestus parantium se ad pugnam: sic Virgilius *Æn. V.*

..... *Duplicem ex humeris
rejecit amictum.*

*Et magnos membrorum artus,
magna ossa, lacertosque.*

*Exiit, atque ingens mediâ
consistit arcuâ.*

Ovidius *Met. Lib. IX. v. 37.*

.... *Regem viridem de corpore vestem,*

Brachiaque opposui.

Suetonius August. c. XXVI.

Princeps legationis rejecto sagulo ostendit gladii caput.

Penula.) Erat vestimenti genus, quod superaddebatur togæ, peculiare eorum nimirum, qui faciebant iter, ex corio, vel coacta lana, pluviis arcendis, cum pileo a tergo, formâ cucullis: sed hæc penula, ut ex Juvenalis *Satyra V. v. 7. 9.* deprehendimus ferò in urbem inducta fuit.

Cedo.) I. e. Da illum; ostende mihi latronem; seu, Vbi est ille? faciam, ut intelligat, quos viros adortus fuerit. *Cedo* est verbum defectivum, imperativum, quod significat, *da mihi.* Cicero *Verr. II. c. XLII. Cedo mihi leges,* i. e. *do mihi leges:* sic Terentius *Andr. IV. IV. Cedo, cujus puerum hic adposuisti.* Donatus ad ipsum locum: *Cedo idem significat quod dic, & da mihi, & est dictum cum quadam fiducia, & contemtu ejus, cum quo sermo est.*

Iam curabo, sentiat.) I. e. Curabo, ut sentiat, cognoscat, me nil frustra minari, & quâ virtute sint, quos adgressus est.

Quos adtentarit Tunc qui depugnaverat: 10
 Vellem istis verbis saltem adjuvisses modò,
 Constantior fuisset, vera existimans:
 Nunc conde ferrum, & linguam pariter futilem,
 Ut possis alios ignorantes fallere.
 Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus, 15
 Scio, quod virtuti non sit credendum tuæ.
Illi adsignari debet hæc narratio,

sic Cicero Epist. XXII. Lib. XII.
*At etiam de te concionatur, nec
 impunè: nam sentiet quos laces-*
sierit: hæc dixit Phædrus ad imi-
tationem Virgilii Æn. III. quem
vide Terentius Eun. I. I. 21.

Sentiet qui vir siem.

& princeps Poëtarum Virgilius
 Æn. VII. 431.

*Ni dare conjugium, & dicto
 parere faletur,*
Sentiat.

10 *Quos adtentarit.*) Bene de
 invadentibus & insidiis I. e. Qua-
 les & quantos adgressus sit: sic
 Terentius Eun. I. I. *Sentiet, qui
 vir siem & II. III. Nunc. Par-*
meno, re ostendes, qui vir siem.

Depugnaverat) Scilicet, cum
 Latrone, & eum occiderat, at-
 que ex pugna victor exstiterat:
 sic Livius L. VII. XXIX. *De-*
pugnatumque hæudquaquam am-
biguo certamine cum Gallis est.

11 *Vellem.*) Subintellige, in-
 quit. Familiaris Phædro Ellipsis.

Modò.) I. e. Dum dimicabam
 cum latrone.

12 *Constantior fuisset.*) I.
 e. Multò animosior fuisset, si
 dixisses modò, quum mihi nego-
 tium fuit cum latrone illo: sic
 Cicero Off. I. *Fortis & constan-*
tis animi est.

Vera existimans.) I. e. Vera
 esse verba tua.

13 *Nunc conde gladium.*) Sci-
 licet, in vagina: contrarium *strin-*
gere paulò ante habuimus.

Futilem.) I. e. Tam vana ja-
 ctantem, & inutilem ad hanc rem.

14 *Ignorantes.*) I. e. Homi-
 nes qui te non agnoscunt, qui te
 ignorant.

16 *Scio, quod &c.*) Hanc lo-
 cutionem, ab alijs impugnatam,
 probat eruditè quidem Faber, &
 cum eo Vossius, Scioppius, &
 ad Sanctii Minervam Lib. III.
 cap. XIV. n. 16. Iacobus Peri-
 zonius: sic Plautus Asin. L. I.
Equidem scio, jam filius quod
amet meus: confer Vossium de
Constructione cap. XX. & LXII.

Virtuti.) I. e. Viribus, fortit-
 tudini: quam præstas scilicet in

Qui re secundâ fortis est, dubiâ fugax.

FABVLA III.

Calvus & Musca.

CALVI momordit Musca nudatum caput,
 Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem.
 Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
 Voluisti morte ulcisci. Quid facies tibi,
 Injuriae qui addideris contumeliam?
 Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,

fugiendo, non in pugnando: respicit praecedens, *quantis fugias verbis.*

18 *Re secundâ.*) I. e. Rebus prosperis.

Dubiâ.) I. e. Incertâ, adversâ, iniquâ.

1 *Calvi momordit, &c.*) Sic Oemerarius Fab. ccviii. *Pungebat saepe calvum musca, nota est enim hujus improbitas. Itaque, &c.*

2 *Captans.*) I. e. Quærens, studens, volens.

Alapam sibi duxit.) I. e. Sibi ipsi inflixit magnum colaphum. *Alapa* Latinè, Græcè *Colaphus* pro quovis ictu sumitur inflicto manu, sive capiti, sive genis, sive palmâ, sive pugno: hic certè patet percussorem capitis intelligi debere, non os verberatum manus palma: agitur enim de nudato capite calvi, quod musca momordit: vide de hoc loco doctissimam Vassasor, *De vi & usu quarundam verborum*, pag. 95.

3 *Punctum volucris parvulæ.*)

I. e. Punctionem Muscæ: est enim *Punctus*, us. sic Plinius VIII. cap. L. *Oculos suffusos capra junci puncto, sanguine exonerat, caper rubi Musca, licet insecti genus, rectè volucris dicitur a volando.*

5 *Injuriae qui, &c.*) Si cum Valchio interpreteris, sensus sic esto. Qui duplicaveris peccatum, quum primùm injurius erga me fuisti, deinde tibi ipsi intolenti contumeliam, i. e. alapam gravem: nam *injuria* referri docet ad muscam, quum in illam injuriosus fuit: per *contumeliam* alapa intelligitur.

Contumeliam.) I. e. Alapam, quæ ad contemptum, & irrisionem pertinet: vide Lib. I. Fab. III.

6 *Respondit.*) Scilicet, Calvus respondet. mihi facile ignosco, quomodo ille apud Horatium:

..... *ego mi ignosco, Martius inquit.*

Quia non fuisse mentem lædendi scio.
Sed te: contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare, vel majore incommodo.

10

*Hoc argumentum veniam tam dari docet,
Qui casu peccat, quàm qui consilio est nocens:
Illum esse quamvis pœnâ dignum judico.*

7 *Mentem lædendi.*) Scilicet, me ipsum injuriâ adficiendi.

9 *Quæ.*) Ad muscam refertur.

Delectaris.) Absolutè ponitur, quod notandum.

10 *Majore incommodo.*) I. e. Meo majore damno, quam id erat, quum mihi alapam duceret.

11 *Hoc argumentum.*) I. e. Hæc fabula: hæc est Gudii emendatio: alii legunt: = hoc argumento; i. e. hæc fabulâ, planè ut Libro II. Fab. VIII.

Hoc argumento tulâ est hominum tenuitas.

& Lib. IV. Fab. VII.

Hoc argumento se describi sentiat.

sed jam alibi dicit: *Hæc significat fabula:* ut Lib. II. Fab. VIII.

12 *Qui casu peccat.*) Scilicet, tam illi qui casu peccat, quàm alteri, qui consilio est nocens, ignoscere sapientem decet.

Consilio.) I. e. Datâ operâ, de industria, consulto: quod Luitanicè ita sonat: *de caso pensado, premeditadamente, de proposito;* &c. sic Cicero Epist. V. *Quis esset, qui me in consulatione non casu potius existimaret, quam consilio, fortem fuisse.*

13 *Illum esse quamvis;* &c.) Quamquam illum, qui animo deliberato nocet, dignum esse pœnâ judico. Burmanus autem legit cum Scheffaro *Quavis*, i. e. *quantacunque, quantalibet*, ut supra L. IV. Fab. XVII. v. 5. *A me contendet fictum quovis pignore.*

FABVLA IV.

Homo & Asinus.

QUIDAM immolasset verrem quum sancto Herculi,
 Cui pro salute votum debebat suâ,
 Asello jussit reliquias poni hordei.
 Quas aspernatus ille, sic locutus est:
 Tuum libenter prorsus adpeterem cibum,
 Nisi, qui nutritus illo est, jugulatus foret,
Hujus respectu fabulæ deterritus,

1 *Immolasset verrem.*) Herculi offerebatur verres, ob devictum ab ipso Aprum Erymanthæum, quem vivum humeris sustulisse dicitur: hinc locus Ciceronis apud Quintilianum Lib. VI. c. III. *Malum Sacerdotem, qui tam nequam verrem reliquisset: quia Sacerdoti Verres successerat.*

Sancto Herculi.) Propriè. Ita rectè legitur: nam Hercules olim *Sanctus Pater* dicebatur, ut ex Varrone probari potest, IV. de L. L. *Sanctum* vocant Herculem Ovidius, Propertius, Cicero, & alii: sic Gruterus pagin. XLVIII. Inscript. I. & II.

SANCTISSIMO. HERCVLI.
 INVICTO.

item Inscript. II.

HERCVLI SANCTISS.

INVITO. SACR.

& sic alibi.

Propertius quoque scripsit, *Herculem* adloquens:

*Sancte Pater, salve, cui jam
 favet aspera Iuno:*

*Sancte velis libro dexter adesse
 meo.*

Cicero pro Sextio Capite LXVII. *Neque hanc opinionem, si in illo sanctissimo Hercule consecratum videntur.*

2 *(Cui pro salute; &c.)* I. e. Cui Herculi voverat se immolaturum verrem, si ipse saluti redderetur.

3 *Reliquias: . . hordei.*) Scilicet, illius cibi, quo verrem illum Herculi sacratum saginaverat: quæ interpretatio ex sequentibus deducitur, & probatur.

Poni.) I. e. Adponi in cibum, vide Lib. I. Fabula XXVII.

7 *Respectu.*) I. e. Intuitu, consideratione. Hanc vocem purioribus Latinitatis docet, &

Periculosum semper vitæ lucrum.

Sed dicis: Qui rapuere divitias, habent.

Numeremus, agedum, qui deprensi perierint:

Majorem turbam punitorum reperies.

10

defendit Vossius in Lib. de vitiiis sermonis eamque firmat auctoritate Liviana: firmante & Gudio contra Hadrianum Cardinalem; ut Hoogstratannus satis abundeque inlustrat exemplis: sic Ovidius Lib. I Trist. Eleg. III. de uxore sibi vim adlatura, nisi marito causâ sustinuisset vivere.

Et voluisse mori; moriendo ponere sensus:

Respectuque tamen non postis se mei.

Iterum Epist. Lib. IV. ex Ponto IX.

Illi me, quia velle vident, discedere malunt.

Respectu cupiunt hic tamen esse sui.

sic etiam Livius Lib. XXXV. Romanorum maxime respectu civitates movit, & virtutem nuper in bello, & in victoria justitiam benignitatemque expertas: & Libro XXXIX. Sin aliquis respectus est mei, ut socii atque amici regis; deprecor, ne me tanta injuria dignum judicetis: confer Gronovium ad ipsum Livium Lib. XXI. XLIV.

8 *Lucrum.*) I. e. Divitias, congestas opes lucro, tanquam rem, quæ possessores suos in va-

ria pericula inducat: sic Mammon Pœnis lucrum. Hebræis divitias notat. teste Augustino.

9 *Qui rapuere divitias.*) Nempe ut Juvenalis ait Sat. XIV.

Vnde habeas, quærit nemo, sed oportet habere.

Hubent.) I. e. Divites sunt, bona possident: sic *ἔχου* apud Græcos pro bona possidere: sic Cicero VII. Fam. XXIX, Nos quod simus, quod habeamus, quod homines existimemus, id omne abs te habere: vide supra Prolog. Lib. III. v. 21.

10 *Numeremus, &c.*) Elliptica est Locutio, pro: *Numeremus eos, agedum, qui deprensi perierint*: hæc ratio veterum scribendi iis hæud ignota est, qui prima elementa purioris Latinitatis degustarunt.

Qui deprensi.) I. e. Qui ob opes variis accusationibus circumventi, & suppliciis adfecti fuerunt: respicit Poëta calamitatem temporum suorum, quibus presentissimum exitium ex magnis divitiis. Metaphora a navigantibus, qui tempestate deprensi pereunt: sic Virgilius *Æn.* V. 52.

Argolicoque mari deprensus.

11 *Majorem turbam punito-*

Paucis temeritas est bono, multis malo.

FABVLA V.

Scurra & Rusticus.

PRAVO favore labi mortales solent,
Et, pro judicio dum stant erroris sui,

rum.) Scilicet, eorum, qui pupilli fuerunt, quam qui impudens divitias rapuerint: i. e. hæc subductâ ratione patebit plures fuisse punitos; &c.

12 *Paucis temeritas est bono.*) I. e. Ista temeritas rapiendi divitiarum paucis prodest; multâ verò magnum adfert damnum & incommodum.

Eat bona.) I. e. Commodum, utilitati: ita Cicero pro Roscio. *Accusant is, quibus occidi patrem Roscii bona sunt.*

1 *Pravo favore.*) I. e. Per parvum & cæcū favorem; seu cum Targionio interpretari male: dum inconsideratè favent alicui. & cæcæ in eum studio rapiuntur. Favor iste intelligitur, quem Philosophi Græcâ voce φιλοφρονίαν appellare solent, i. e., amorem sui ipsius perversum, quum homo in omnibus suæ utilitati atque gloriæ insidiat, Dei autem honoris am-

pliandi omnem curam deposit: de quo amoris genere Horatius prudenter admodum canit Lib. F. Satyr. III. v. 24.

Stultus & improbus hic amor est, dignusque natari.

Ex Walchio.

Labi.) I. e. Errare, in errorem rapi: sic mox, *erroris.*

Mortales.) I. e. Homines.

2 *Pro judicio.*) I. e. Pro errore judicii sui, i. e. secundum Phædri consuetum loquendi modum, pro erroneo judicio suo: talia exempla jam ante vidimus.

Dum stant.) Locutio ex re bellica translata. I. e. Dum tuentur, ac defendunt judicium & errorem suum: sic apud Terentium est *stare pro aliquo*, pro tueri partes alicujus, defendere aliquem. *Stare & Sedere* sunt per translationem verba forensia, hoc judicium, illud advocatorum: sic supra Libro III. Fab. X.

..... *Stant patroni fortiter*

Ad pœnitendum rebus manifestis agi.
 Facturus ludos quidam dives nobiles,
 Proposito cunctos invitavit præmio,
 Quam, quisque posset, ut novitatem ostenderet.
 Venère artifices laudis ad certamina;
 Quos inter Scurra, notus urbano sale,

5

Causam tuentis innocentis feminae.

& Lib. I. Fab. X.

Tunc iudex inter illos sedit Simius.

sic Livius Lib. XXXVIII. *Pro Iuba atque Afris stetisse; i. e. partes eorum propugnasse.*

3 *Rebus manifestis.*) Supple, *In i. e. Rationibus & argumentis invidiis.*

Ag.) I. e. Solent cogi, impelli, ad pœnitendum ob manifesta indicia sui erroris. Eleganter in respectu ad vim veritatis.

4 *Facturus.*) Proprie, de illis, qui spectacula edent. Cic. de Harusp. *Hos ludos verè fecerunt.* Suetonius Aug. X. *Ludos victoriæ Cæsaris non audentibus facere.*

Nobiles.) I. e. Non obvios, & quotidianos: sed inuitatos, & celebres, qui passim noscerentur. Wachsius legit *nobilis*, ut sit primus seu nominandi casus, & jungendus cum *dives*: confer sis amplissimum virum ad hunc locum.

5 *Proposito præmio.*) Propria est locutio. Ita Lib. I. Fab. XIV.

Hoc bibere iussit ipsum, posito præmio.

sic Valerius Maximus Libro VI. cap. VIII. 2. *Quum magna sibi præmia proposita videret.* Virgilius Æn. V. v. 291.

Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,

Invitat pretiis animos, & præmia ponit.

6 *Quam, quis posset, &c.*) Ordo est, *Quisque ostenderet novitatem, quam posset.*

Novitatem.) I. e. Nova inventa; novam aliquam ludicram artem, quam posset ostendere: sic Horatius de Arte Poët.

Illecebris erat & grata novitate morandus

Spectator, functusque sacris, & potus, & exlex.

7 *Artifices.*) I. e. Periti novarum rerum.

Laudis ad certamina) I. e. Ut certarent de laude & præmio proposito; seu, quibus laudem, & gloriam sibi compararent.

8 *Scurra.*) I. e. Ex eorum genere, qui risum movent auditoribus, nullâ habitâ ratione verècundiæ, & dignitatis.

Urbano sale.) Scilicet, cui inest elegantia & eruditio quædam ex conversatione & familiaritate politorum & eruditorum

Habere dixit se genus spectaculi,
 Quod in theatro nunquam prolatum foret
 Dispersus rumor civitatem concitat,
 Paulò antè vacua turbam deficiunt loca.
 In scenâ verò postquàm solus constitit,
 Sine adparatu, nullis adjutoribus,
 Silentium ipsa fecit exspectatio.
 Ille in sinum repentè demisit caput;
 Et sic porcelli vocem est imitatus suâ,

10

15

hominum; i. e. Facetiis elegantibus. *Sal.* hic est pro eo, quod *Jocosum* est.

9 *Habere.*) Sic ferè de re inventa hoc verbum usurpatur: sic Terentius Heaut. IV. I. 10.

At sic opinor: non potest: imo optime. Euge! habeo optimum.

& Eun. III. II. *Numquid habes? ubi Donatus, invenisti?*

Genus spectaculi.) I. e. Genus ludi scenici.

10 *Nunquam prolatum foret.*) I. e. Visum, exhibitum, ex sententia scilicet divitis, facere volentis ludos novo spectaculo nobiles.

11 *Dispersus rumor.*) Sic Terentius in Prol. Heecy. in re simili, *Rumor venit.*

Civitatem.) I. e. Cives, Metonymicè.

Concitat.) I. e. Invitat, con-vocat ad spectaculum, in theatrum: sic Ovidius Epist. Paridis.

Nec tu rupta time; ne nos fera bella sequantur,

Concitet aut vires Græcia tota suas.

12 *Paulò ante vacua, &c.*) I. e. Populo desunt loca, quæ paulo antè erant vacua, ut in illis possent consistere, esse spectatores novi ludi.

Deficiunt.) I. e. Desunt eis loco: sic Cicero Verr. IV. *Dies, latera, & vox me deficiunt: ita loquebantur* optimo seculo.

14 *Sine adparatu.*) I. e. Absque eo quod aliquid pararetur, & quisquam eum adjuvaret.

15 *Exspectatio.*) Scilicet, videndi novum genus spectaculi, quod Scurra exhiberet.

17 *Porcelli vocem est imitatus.*) Lusit Ausonius in hominem animantium variorum voces exprimentem in Epigrammate, quod sic incipit.

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,

Caprigenumque pecus, lanigerosque greges

Balatu adsimulas; &c.

Sud.) Scilicet, Voce. Ellipticè.

Verum ut subesse pallio contenderent,
 Et excuti juberent. Quo facto, simul
 Nihil est repertum, multis onerant laudibus, 20
 Hominemque plausu prosequuntur maximo.
 Hoc vidit fieri Rusticus. Non mehercule
 Me vincet, inquit: & statim professus est,
 Idem facturum melius se postridie.
 Fit turba major: Jam favor mentes tenet, 25
 Et derisuri, non spectaturi, sedent.
 Vterque prodit: Scurra digrunnit prior,

18 *Verum.*) Scilicet, Porcellum latere sub pallio.

19 *Et excuti.*) Pallium videlicet, aut sinum, si fortè subesset porcellus. Planiore sensu legit Hensius, *Idque excuti juberent*: sic Cicero pro Roscio: *Nihil est, Glauciae, quod metuas, non excutio te.* Plautus Anul. II. III. *Agedum, excute dum pallium.*

Quo facto.) I. e. Pallio excusso, simul ac visum est non adesse ullum procellum.

Simul) I. e. Simul ac.

20 *Onerant laudibus.*) I. e. Abundè laudibus prosequuntur: sic Iustinus Lib. V. cap. IV. *Igitur omnibus non humanis tantum, verùm & divinis cum honoribus onerant.*

21 *Hominemque plausu prosequuntur.*) Confer Ciceronem pro Rosc. Com. c. X. *Sic est vulgus; ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat: quid scire ille, perpauci animadverterant: ubi didicisset; &c.*

22 *Rusticus.*) Scilicet, quidam, qui fortè ibi aderat.

23 *Me vincet.*) Scilicet, hâc arte.

24 *Idem facturum melius.*) Scilicet, spectaculum.

25 *Fit turba major.*) Scilicet, Concursus omnis generis hominum.

Favor.) De spectatoribus adplaudentibus in theatro, vel scena. Favor enim erga Scurram ita occupaverat mentes, ut potius ad deridendum rusticum, quàm ad eum spectandum starent: ut infra Fab. VII.

Tibicen gratulari fautores putat.

Mentes tenet.) Eleganter. I. e. Ita occupat, ut adempta esset iis omnis libertas judicandi.

26 *Et derisuri.*) Confer sis ad hunc locum quæ ab eruditissimo Hoogstratano observata legimus.

Non spectaturi.) I. e. Non tam ad eum spectandum, quàm deridendum.

27 *Vterque prodit.*) Videlicet, Scurra, & Rusticus prodeunt in scenam. *Prodire in scenam* est & apud Nepotem in

Movetque plausus, & clamores suscitât.
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererat latens.

30

.....
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Adclamat populus, Scurram multâ similitudine
Imitatum; & cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans:

36

Præfatione: quem consulo ex ætate Luantianica editione novissima ejusdem Nepotio.

Digrunnil.) I. e. Imitatur, ut pridio, vocem porcelli.

28 Movetque plausus.) I. e. Commovet multitudinem ad edendos plausus manibus: sic enim solebant, quum quid adprobarent: vide Ferrarium de *Adclama-*

Clamores suscitât.) Tollere clamorem dixit Libro. I. XI. sic Cicero in Bruto caput XCV. *Clamores facere.*

30 Faciebat.) Porcellum reverâ ferebat, quamvis nemo id arbitraretur, quia in priori Scurra non compererat latere aliquid: deest enim hic aliquis verus, ut observat Targionius.

Scilicet.) Confirmantis hæc est particula; quam Donatus explicat per *scire licet*: vide Mantium ad Ciceronis II Epist. Fam. VI.

31 Sed in priore.) Toti sunt in adferendo hæc versus Freinshe-

nius & Schafferus. Malim cum Heinsio delere, ut notat Hoogstratus.

Compererat) Nempe Spectatores.

32 Pervellit aurem.) I. e. Obstrinxit aurem ipsi porcello, quem verè sub vestibus celabat, & cum dolore, quem sic illi infert, facit ut omittat vocem naturalem.

Vero.) Scilicet, porcello in vestibus latenti. Heinsius, ut supra, *verri.*

33 Vocem naturæ) Scilicet, vocem suis, naturalem grunnitum.

35 Trudi foras.) I. e. Ejici cum contumelio à teatro: sic Terentius Eun. V. II.

Nam me extrusit foras.
& Plautus Asin. *Næ ille ecastor hinc tradetur largus lacrymarum foras.*

37 Aperto pignore.) I. e. Claro, certo, ac manifesto argumento, porcello ostenso. *Pignus no-*

En, hic declarat, quales sitis iudices.

POËTA.

ADHUC supersunt multa, quæ pössim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas.
Sed temperatæ suaves sint argutiæ;
Immodicæ offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victorum meis,
Latinis dum manébit pretium litteris:

5

lat argumentum certissimum: sic Virgilius Æn. VI.

Aperit ramum, qui veste latebat.

38 *Hic declarat.*) Scilicet, Porcellus ostendit errorem vestri iudicii.

1 *Adhuc supersunt multa.*) Sic Lib. IV. Fab. XXV.

Supersunt mihi quæ scribam, sed parco sciens.

Loqui) I. e. Scribere, ut loco laudato.

2 *Rerum varietas.*) I. e. Materia Fabularum.

3 *Sed temperatæ; &c.*) I. e. Quum moderatæ adhibentur sicut Terentia Andr. I.

..... *Id arbitror*

Adprimè in vita esse utilis, ut nequid nimis.

4 *Immodicæ offendunt.*) Absolūtè. I. e. Si nimis, & intempèstivæ sint; nam hæc sunt molestæ ac tediosæ: sic Cicero pro Cluent. *Bis apud Iudices offendit; Tacitus Agric. XXII. Ho-*

nestius pulabat offendere, quam odisse:

Vir sanctissime.) I. e. Integerrime: sic Lib. III. Fab. X. *Sanola uxor*, de integra vitæ & innocente.

5 *Particulo.*) Nomen proprium ejus, ad quem scribit.

Chartis nomen; &c.) Eleganter respectu famæ. I. e. Cujus nomen victurum, vivet chartis meis, i. e. quod celebre, iustigne, & clarum erit per scripta mea. *Vivere* est hic immortalis gloriâ, & memoriâ vigere: & ita usurpatur passim apud scriptores: ut Seneca Epist. XXI. *Possum necum duratura nomina educere.*

6 *Latinis dum; &c.*) I. e. Dum litteræ, studia præstantium virorum Latii erant in pretio: sic Cicero de Legibus, I. II. *Dum Latine loquentur litteræ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicitur.*

Si non ingenium, certè brevitatem adpròba,
 Quæ commendari tantò debet justius,
 Quantò Poëtæ sunt molesti validius.

FABVLA VI.

Duo Calci.

INVÉNIT Calvus fortè in trivio pectinem,
 Accessit alter, æquè defectus pilis:
 Heia, inquit, in commune quodcumque est lucri.
 Ostendit ille prædam, & adjecit simul:

7 *Certè.*) I. e. Minimum, saltem: sic supra Lib. II. Fab. V. *Donationis, alapæ certè, gaudio.*

Brevitatem.) Brevitatem magis beneficii loco imputat, quum alias solerent Poëtæ enecare, & macerare homines suis verbosis commentationibus: docent id loca, quæ congestere viri docti.

8 *Tantò . . . justius.*) I. e. Tantò majori jure.

9 *Quantò . . . validius.*) I. e. Quantò magis, vehementius.

Poëtæ.) Qui justa opera, Poëmata longiora conscribunt, quos recitantes non possis sine maxima molestia audire: sic Ovidius:

*Vt nos nulla tibi jam sit le-
 gisse voluptas:*

*At brevior dentis pana duobus
 erit.*

1 *Calvus.*) Quidam homo calvus, ut solet Phædrus de ignotis.

In trivio.) I. e. In publica via.

2 *Æquè defectus pilis.*) I. e. Quem defecerant pili, qui amiserat pilos: sic supra Lib. I. Fab. XXI.

Defectus annis, & desertus viribus.

3 *Heia.*) Est formula hortantis, quæ Terentio frequens.

In commune.) Formula solemnis, quæ stebantur, qui quid alium invenisse viderant in publico. Integra locutio est, *Confer in commune: sed confer brevitatis causa omittitur: vide Vavass. De vi & usu quorundam verborum, p. 73.*

4 *Prædam.*) Hoc est, Id, quod invenerat, pectinem.

Superum voluntas favit; sed fato invido:
 Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.
 Quem spes delusit, huic querela convenit.

FABVLA VII.

Princeps tibicen.

VBI vanus animus, aurâ captus frivola,
 Arripuit insolentem sibi fiduciam,

5 Superum voluntas favit.) Hoc quoque solemne erat: dicebant talia a Diis dari: quid si versus ita constitatur,

Superum voluntas favit, at Fato invido?

Fato invido.) I. e. Iniquo, non favente; quia quod inventum est neutri prodest.

6 Carbonem, ut ajunt; &c.) I. e. Rem vilem. & inutilem, nobis non profuturam, nec ullius pretii: quod Lusitanicè ita sonat: Cuidar ter muitos bens, e riquezas; e achar-se com coisa nenhuma. Proverbium: de expectatione frustrata: confer Lib. III. Fab. XII.

Vt ajunt.) Cessit enim in proverbium.

7 (Quem spes delusit.) I. e. Qui spe sua frustratus est.

1 Vbi vanus animus.) I. e. Homines vani. Plerumque contingit, ut homines nec certa proposita habentes, inflati parvulo

successu audeant sperare majora solita: sed huic consequens est, ut illorum levitas agnita ludibrium debeat.

Aurâ... frivola.) Translata locutio a navigatione I. e. Vulgi gratiâ, & favore inani: nam aurâ apud Latinos notat favorem: sic Horatius Od. II. Lib. III.

Arbitrio popularis auræ. Virgilius Æneid. VI.

Nunc quoque jam nimium gaudens populâibus auris.

Vbi Servius exponit, Favoribus. Vnde & AVRARIJ dicuntur favoritores Cicero dixit, ventus popularis, venti concionum Livius sic Lib. XLII. Cap. XXX. Persicus magis popularis auræ erat.

Frivola.) I. e. Inconstanti, fragili, quæ citò perit.

2 Sibi.) Eleganter abundat hæc vocula, ut sæpe apud Scriptores: sic Cicero. Otium mihi sumo.

Facile ad derisum stulta levitas ducitur.

Princeps tibiicen notior paulo
Operam Bathyllo solitus in scena dare.
Is fortè ludis, non satis memini quibus,
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, & sinistram fregit tibiam,

3 *Ad derisum.*) I. e. Ad derisionem. ut derideatur.

Stulta levitas) I. e. Vanus animus, vel vanitas illa animi.

4 *Princeps tibiicen.*) *Princeps* est cognomen proprium Tibicinis. *Principis* Grammatici meminit Suetonius Lib. de *Illustribus Grammaticis*, cap. IV. his verbis: *Me quidem adolescentulo, repeto quendam Principem nomine alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane disserere, postmeridie, remoto pulpito, declamare solitum.* Vide Gruterum Inscript. DCCCXXXIII. 10. Ita nomina propria sunt, *Dux, Creon, Creusa* (Græcè Regem & Reginam significant) *Rex, Regulus, Tyrannus, Tyrannio,* & alia id genus.

Notior paulo.) Scilicet, quam alii ejusdem generis homines.

5 *Operam Bathyllo solitus, &c.*) Scilicet, tibiicarum; i. e. inflare tibiae solitus, ad quas Bathylus nobilis minus saltaret; nam solitu suæ tibiæ eum adju-

vabat: vixit hic Bathyllus tempore Augusti.

6 *Is.*) Scilicet, Princeps in talibus ludis.

Quibus.) I. e. Quinam fuerint.

7 *Pegma.*) *Pegmata*, aut *Pegmata* in Theatris erant grandes & ingeniosæ machinæ variis tabulis, & sublevis compactæ, quas per se o. culte surgebant, & rursus subsidebant: pro diversitate argumenti adornatæ, ac velut dehiscente terra absumere solebant sive homines, sive res, quas esset libitum: eorum usus in ludicris Romanorum multus fuit.

Rapitur.) Indicat hæc vox celeritatem, quâ dehiscerat, aut surgebat motum ponderibus latitantibus: sic Claudianus:

Mobile ponderibus descendat pegma reductis.

8 *Nec opinans.*) *Nec* valet non: sic Tertull. Andr. *Nec opinantes.* Noster Libro E. Fab. IX. *Accipiter nec opinum rapit.* Virgilius dixit pro eo *incautus.* Eo E. *Et ferro incautum superat.*

Duas quum dextras maluisset perdere.
 Inter manus sublatus, & multum gemens, 10
 Domum refertur Aliquot menses transeunt,
 Ad sanitatem dum venit curatio.
 Ut spectatorum mos est, & lepidam genus,
 Desiderari cœpit, cujus flatibus
 Solebat excitari saltantis vigor. 15
 Erat facturis ludos quidam nobiles;

Sinistram fregit tibiam.) I. e. Fregit os cruris sinistri.

9 *Duas quum dextras, &c.*) Scilicet, Cantorum, quæ erant instrumenta, quibus sonabat, & quarum una apud Comicos vocabatur dextra, quæ acutum sonum reddebat, altera sinistra, quæ gravem; hæque ambæ in Comœdiis adhibebantur: est enim elegans jocus, & lepida adlusio in voce tibiz: sic in Eunuchi inscriptione apud Terentium legitur, eam Fabulam actam fuisse tibiis duabus dextris.

10 *Inter manus sublatus.*) I. e. Manibus latus e theatro per eos qui adstabant: sic Cicero Accus. V. in Verr. cap. XI *Itaque erant exitus ejusmodi, ut altus inter manus e convivio, tanquam e prælio, auferritur.* Eivius Lib. III. de Q. Cæcæne. *Inter manus domum ablatu.* Lueretius Lib. I. v. 96. de Iphigenia Dianæ immolanda.

Nam sublata virum manibus trem. bandaque ad aræ Deducta est.

11 *Aliquot menses transeunt.*) I. e. Lapsi sunt aliquot menses,

antequam plenè esset curatus. *Tre & t. ausire* de tempore usurpatur: sic Ovidius Met. Lib. II. v. 330.

... *Si modo credimus, unum Isæ diem sine sole ferunt.*

13 *Lepidum genus.*) Ut spectatorum genus solet esse lepidum, (i. e. lepidi spectatores;) & a tibicino se vult exhilarari; nam spectatores lepidi delectantur. *Lepidum spectatorum genus.* i. e. Lepidi spectatores, formula Phædro sollemnis: sic *Grogum genus* pro ipsis Græcis est apud Eunium, & eodem modo ab Euripidi dictum est, *Ἀποβρωγῶν*, pro ipsis senibus.

14 *Desiderari cœpit.*) Scilicet, a populo.

Cujus.) Scilicet, Principis tibicinis.

Flatibus) I. e. Cantibus, sonitu tibiz, hoc est, quo tibiâ canente: sic Tibricines dicti flatores.

15 *Saltantis vigor.*) Scilicet, Bathyli, cui operam in scena dabat.

16 *Erat facturis.*) Sic supra Fab. V.

Et incipiebat Princeps ingredier. Eum
Adducit pretio, precibus, ut tantummodò
Ipso ludorum ostenderet sese die.

Qui simul advenit, rumor de tibicine

20

Fremitt in theatro: quidam adfirmant mortuum,

Quidam in cōspectum proditurum sine morâ.

Aulæo misso, devolutis tonitribus,

Dii sunt locuti more translatio.

Chorus reducto tunc, & notum canticum

23

*Facturus ludos quidam dives
nobiles.*

17 *Et incipiebat Princeps ingredier.*) I. e. Ingredi, incedere.

Eum.) Scilicet, Tibicinem, qui sinistram tibiam fregerat.

18 *Pretio, precibus.*) Formula solemnis. Sic Terentius Eun. V. IX. 24.

..... *Perfice hoc*

*Precibus, pretio, ut hæream
aliqua in parte tandem apud
Thaidem.*

Horatius etiam,

Nunc prece, nunc pretio.

19 *Ipso ludorum; &c.*) I. e. Solummodo in conspectum populi in theatrum prodiret.

20 *Qui simul.*) Scilicet, dies advenit.

Rumor de tibicine; &c.) I. e. Rumor venturum esse tibicinem excitat animos & murmur in theatro: alii sic interpretantur: *Qui rumor simul ac dispergeretur, venturum nempe Principem, fremitum excitat in theatro.*

23 *Aulæo misso.*) I. e. Demisso sipario, quum dimitteretur aulæum, ut Actores, qui stabant post ipsum, inciperent.

Devolutis tonitribus.) Propriè. Tonitribus Claudianis, ut vocabantur, quum fierent saxis devolutis, seu dejectis post scenam magno cum fragore, ex instituto Claudii Pulcri.

24 *Dii sunt locuti.*) Heiniius sic legit: *Diis collocutis.*

More translatio.) I. e. More consueto, quo in scenam transferri solebant, ornati magnificè, quum intervenire difficilius negotiis deberent, machinæ aliqujus subsidio. Quanquam per *translatitium* intelligi potest pridem usurpatum, consuetum, & vulgare.

25 *Reducto.*) Tibicini nempe, qui demò in theatrum venerant unâ cum cæteris, ex quibus chorus constabat. Positum est pro *introducto demò ducto in theatrum*, quia promiserat se ostensurum se.

Imposuit, cujus hæc fuit sententia :

LÆTARE INCOLVMIS ROMA SALVO PRINCIPE.

In plausus consurrectum est. Iactat basia Tibicen, gratulari fautores putat.

Equester ordo stultum errorem intelligit ;

30

26 *Imposuit.*) I. e. Decépit illum putantem, quod de se esset chorus, & canticum notum, cujus hæc sententia, quæ adclamabant Cæsari: *Lætare, &c.*

27 *Lætare, &c.*) Respicit morem adclamandi Principibus. Ita Romæ, acceptis de recuperata Germanici valetudine nunciis, exclamatum: SALVA. ROMA. SALVA. PATRIA. SALVVS. EST. GERMANICVS. & similiter de Alexandro Severo. SALVA. ROMA. QVIA. SALVVS. ALEXANDER.

Vide Bern. Brisson. Form. Sol. Lib. III. pag. 719.

28 *In plausus consurrectum est.*) Honoris præcipui causâ. I. e. Simul ab omnibus surrectum est, ut plausus ederent: stantes enim ferè edebant, præsertim si hoc Principis causâ fecissent. Suetonius in Augusto, cap. LVI. *Alsurrectum ei ab universis, & a stantibus plausum.* Auctor Dialogi de Claris Oratoribus. *Testis ipse populus, qui auditis ejus (Virgilio) versibus surrexit universus:* ad hunc morem respexit Horatius Lib. II. Od. XII. de Mæcenate, qui manifesto periculo mortis erat ereptus.

..... *Quum populus frequens Lætum theatris ter crepuit sonum.*

Tactat basia.) Ori admotâ manu, spargit in vulgus, gratiarum agendarum causâ sic enim solebant, quoties declarare animum gratum. aut quoquo modo deditum aliis vellent. Fiebat autem manu primùm admotâ ori, deinde perrectâ ad eos, quorum amori vel honori hoc debatur, & sic oculos ipsum porrigebatur velut ac jactabatur: alii aliter legunt hunc versum, & in his Petrus Scriverius, probante etiam Nicolao Heinsio.

29 *Gratulari fautores, &c.*) Absolutè, *gratulari, pro gratulari sibi, eidem, eos, qui bene illi cupiebant:* ita Lib. IV. Fab. XI.

Quum gratulantes persalutasset Deos.

30 *Equester ordo.*) I. e. Equites in theatro sedentes.

Stultum errorem.) Elegantissimè errorem *stultum* adpellat, & indicat simul fontem, & quo hic error profectus. *Error* enim est vitium *judicii, stultia* verò *ingenii*, quemadmodum *confusio memoriae*: Tibicen namque de se id dictum æstimabat.

Magnoque risu canticum repeti jubet:
 Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
 Totum prosternit: plaudit inludens eques:
 Rogare populus hanc coronam existimat.
 Ut verò cuneis notuit res omnibus,
 Princeps ligato crure niveâ fasciâ,
 Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
 Superbiens honore divinæ domûs,

36

32 *Iteratur illud.*) Scilicet, Canticum.

Homo meus.) Elegerunt. I. e. Tibicen Princeps, de quo loquor: additur illud *meus*, velut per commiserationem tantæ stultitiæ: sic Petronii cap. LXXII. *Homo meus cepit ad stellas facere.*

In pulpito.) I. e. Loco edito ante scenam, ubi canere, fabulamque agere solebant Mimi, & Histriones personati.

33 *Se totum prosternit*) Majores gratias agendo pro iteratis adclamationibus.

Plaudit) I. e. Plausus dat: sic Horatius Lib. I. Od. XX. . . . *datus in theatro*

Quem tibi plausus.

Inludens eques.) I. e. Equites inludentes, vel equester ordo, ut ante.

34 *Rogare populus, &c.*) Populus audiens tunc plausus, & videns tibicinem prostratum, putat eum rogare coronam: quâ tanquam victor coronaretur, ut fieri solebat.

Coronam.) I. e. Præmium certaminis in ludo illo

35 *Ut verò.*) Scilicet, per omnes partes theatri intellecta est hominis vanitas.

Cuneis.) I. e. Sedilibus in theatro, ubi sedebat populus, in modum cunei efformatis.

Res.) I. e. Vanitas, & error tibicinis.

36 *Niveâ fasciâ.*) I. e. Alba candida; qui color olim relatus est inter regales: vide Suetonium in Domit. cap. XXI. Vellej. Lib. II. cap. II. Cicero Att. XI. Ep. II.

37 *Niveisque tunicis.*) Præfert Gudin, *Niveâque tunicâ.*

38 *Superbiens; &c.*) I. e. Iactando se nimis gloriôsè niveis insignibus, quæ regum tantummodò erant.

Honore divinæ domûs.) Scilicet; honore, quo non ipse, sed divina domus adsciebatur, i. e., Palatina, Augusta, Cæsarea, Imperatoria, Principlialis, seu Cæsaris, cui ornamenta nivei coloris in primis erant solennia. Ve-

Ab universis capite est protrusus foras.

FABVLA VIII.

Occasio depicta.

CVRSU volucris pendens in novaculâ,
Calvus, comosâ fronte, nudo corpore,

tus Formula, & in veteribus Inscriptionibus frequentata: Lapis Oretanus in Hispania apud Gruterum PETENTE. ORDINE. ET. POPVLO. IN. HONOREM. DIVINÆ. DOMVS. FECIT. Metrensis lapis. IN. HONOREM. DOMVS. DIVINÆ. DIS. MANIBVS. VICANI. VICI. PACIS sunt etiam multæ apud Gruterum Inscriptiones, ubi formula hæc siglis ita notatur. IN. H. D. D. *Domus divina est, quæ Valerio Maximo Augusta Domus dicitur* Lib. VIII. cap. XV.

39 *Capite est protrusus foras.*) I. e. Cum contumelia & derisu ejectus est: sic ferè Fab. V. XXXV. Terentius Eun. IV. V. 11.

Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.

1 *Curas volucris.*) I. e. Alatis pedibus.

Pendens in novacula.) Eleganter. I. e. Tam celer, leviter insistens, ut terram non adtin-

gat, vel potius volans super novaculam, & adeò celer, ut minimè lædatur ab ipsa: sic enim de volantibus Ovidius de Perseo Lib. IV. Metam.

Quumque super Lybicas victor pendret arenas.

& sic alii.

In novacula.) Vide præter alia, quæ passim occurrunt, Andream Alciati Embl. XVI Lib. I. *In novacula* autem valet hic cum novaculo, vel novaculam manuum tenens: sic Virgilius V. Æn.

Horridus in jaculis: hoc est, jaculis instructus. Idem Lib. XI.

... *Rapidum super omnem Infelix fugit in jaculo stridente (amilla.*

Florus Lib. I. *Inventus in equis & armis,* i. e. armata & equis insidens.

2 *Calvus.*) Scilicet, a parte posteriori, & comis ornatus in anteriori, & fronte: muliebri specie quoque ita pingitur.

Fronte capillata, post est Occasio calca.

Quem si occupâris, teneas: elapsum semel
Non ipse possit Iupiter reprehendere:
Occasionem rerum significat brevem.

*Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere Antiqui talem effigiem Temporis.*

Comosâ fronte.) I. e. Comis abundante: ita Plinius *arborem in orbem comosam* dixit Lib. XVI. Cap. VI.

Nudo corpore.) Quo nempe sit expeditior ad avolandum.

3 *Quem si occupâris.)* Quem calvum si prævenias inopinatum, arripias quasi, ac non sentientem.

Teneas.) Ne patiaris a te abire, quia semel elapsus non redit.

4 *Non ipse possit Iupiter.)* Proverbiale hoc videtur. Non ipse Iupiter, quævis sit maximus Deorum, & omnipotens dicatur: sic Palinurus apud Virgil. *Æn. V.*

Non si mi Iupiter auctor.

Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo.

Reprehendere.) I. e. Reducere, iterum prehendere, retrahere e fuga: sic Livius. *Ad eò*

turbati erant dextræ alæ equites pedilesque, ut quosdam Consul Cato manu reprehendit, vertitque in hostem. Lucretius Lib. VI. v. 507.

Quod nisi respirent venti, non ulla refrænet

Res, neque ob exitio possit reprehendere cursus.

Propertius.

Quam possit quisquam nostros reprehendere cursus.

Sic Cicero *Acad. IV.* *Revocat virtus, vel potius reprehendit manu.*

5 *Occasionem rerum.)* Scilicet. Tempus faciendi aliquid opportunè oblatum, citissimè transiens.

6 *Effectus impediret.)* I. e. Ne impediremur plura efficere, & consequi ob segnem moram, & nimiam runctionem.

7 *Effigiem Temporis.)* Non

FABVLA IX.

Taurus & Vitulus.

ANGUSTO in aditu Taurus luctans cornibus,
 Quum vix intrare posset ad præsepia,
 Monstrabat Vitulus, quo se pacto plecteret.
 Tace, inquit, antè hoc novi, quàm tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

simpliciter, sed ejus, quod antè dixit, *occasionem*, i. e. opportunitatem

1 *Luctans cornibus.*) I. e. Difficiliter permesns.

3 *Vitulus.*) Scilicet, qui fortè adstabat.

Plecteret.) Alii cum Buchnero & Ritterhusiq legunt *Flecteret*: eodem recidit. Docet Schefers in Libris. *De re Vehiculari*, Lib. I cap IV.

4 *Quàm tu natus es.*) Præsens pro præterito perfecto, na-

tu fuisti, sicut solet etiam in aliis: vide Sanctium Lib. I. Min. Cap. XV. Proverbiùm conveniens seni reprehendenti hominem adolescentem & sciolum, a quo lacessitur.

5 *Qui doctiorem emendat.*) Sus scilicet Minervam docens, ut in alio est proverbio.

Sibi dici putet.) Sic ferè supra: sic Terentius And. I. II. 16.

... *Hæc quum illi, Micio, Dico, tibi dico.*

FABVLA X.

Venator & Canis.

ADVERSUS omnes fortis veleces feras
 Canis quum domino semper fecisset satis,
 Languere cœpit annis ingravantibus.
 Aliquando objectus hispidi pugne suis.

1 *Adversus omnes, &c.*) Aliam Fabulam de Canis sene refert Camerarius Fab. CCLXXVIII Confer Statium sic loquentem de Leone jam sene Theb. Lib. XI.

... *Qualis Leo rupe sub alta
 Quem virides quondam silvæ
 montesque tremebant,
 Iam piger & longo jacet exar-
 matus ab æro.*

Magna tam nefaciis; &c.

Fortisveleces) Legendum puto cum Heinsio.

*Adversus omnes fortis & ve-
 los feras.*

vide eum ad hunc locum.

2 *Semper fecisset satis.*) Tenebris, pro *Satisfecisset*.

3 *Annis ingravantibus.*) Scilicet. Quum anni eum gravarent, i. e., molestiam adferrent: vel, annis ingravescentibus: namque *ingravare* est *ingravescere*, ut pote quæ vox sæpenumero hoc sensu usurpatur. Cicero de Senectute. *Dictamus, quibus rationibus facillime ingravescentem*

ælatem ferre possimus: idem ad Familiares II. I. Quare in nos hoc animo esse debetis, ut ætas nostra ingravescens in amore atque adolescentia conquiescat tua. Aggravare & apud Suetonium Cæsar I. & ingravare apud Plinium Lib XIX. cap. VIII. sic Horatius dixit gravis annis, de milite senæ. Ovi tuis quoque.

Quoniam gravis ipsa senectas est.

Ennius apud Ciceronem, *senio eo fretus.*

4 *Aliquando objectus.*) Quum hic canis occurrisset hispido sui, & pugnaret eum illo. Multa congerit exempla Torrentius ad Horatium Epod. Lib. Od. II. quo probet, ubi de re venatica sermo est, *canis* fæminino genere usurpatur: fatetur tamen hanc observationem non esse perpetuam: patet certè ex hoc Phædri loco: quin & ex Columel. VII. XII. *Pecuaris canis neque tam strigivus, & pernix es-*

Adripuit aurem : sed cariosis dentibus
 Prædam dimisit. Hic tum Venator dolens
 Canem objurgabat. Cui latrans contra senex :
 Non te destituit animus, sed vires meæ.
 Quod fuimus laudas, jam damnas quod non sumus.

se debet, quam qui damas cervosque, & velocissima sectatur animæ lin-

Hi:pidi suis.) I. e. Setosi apri : *sues* verò Poëtis apros notare obvium : sic & masculi generis facit Claudianus II. in Rufin. 487.

Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.

5 *Adripuit aurem.)* Non abstulit aurem.

(Cariosis dentibus.) I. e. Carie plenis, adesis, invalidis jam.

6 *Prædam dimisit.)* Scilicet, Sum, quem in auribus adripuerat.

Venator dolens.) Scilicet. Propter fugam apri a cane dimissi : i. e. Prædam jam captam sic sibi iterum, tanquam bolum e faucibus, eripi.

7 *Cui.)* Scilicet, Venatori.

Latrans contra senex.) I. e. Canis senex respondit latrans, i. e. latrando : sic legendum cum Hoogstratus clarissimo viro jam olim existimaverat doctissimus Walchius. Confer Vossium de Arte Grammat. Lib. II., ipsamque Hoogstratus ad hunc locum. *Latrans*, ut jam pluries observavimus, positur pro *latratoris* ;

ut *amans* apud Terentium & Ovidium pro *amatore* ; *medentes* pro *medicis* apud Lucretium ; *hinnians* pro *equo* apud Apulejum ; *mugientes* pro *bubus* apud Horatium ; *laniger* quoque apud nostrum pro *agno* ; & *auristulus* pro *asino*.

8 *Non te destituit animus.)* I. e. Animus meus non destituit te, non fallit, non facere negligit, aut minus curat quod imperas ; sed vires meæ invalidæ non potuere retinere sibi, & occidere prædam : sic enim apud Virgilium *Æn. V.* 594. serè Accætæ, a quo dictæ castigabatur, & impellebatur ad pugnam, respondit Eutehus :

... *Non laudis amor, nec gloria cessit*

Pulsa metu ; sed enim gelidus tardante senecta

Sanguis habet, frigentque effata in corpore vires.

9 *Quod fuimus, &c.)* Eâdem locutione usus fuit Ovidius *Met. XII.* 502.

... *Quod fuit ille, sumus. & Lib. III. Trist. XI.* 25.

Non sum ego, quod fueram.

Damnas quod non sumus.) Scilicet, Damnas quod non sumus

Hoc cur, Philete, scripserim, pulchrè vides.

EXPLICIT LIB. V.

amplius, i. e., ægrè fers, quod non semper retineamus, & sic etiamnum habeamus illas vires, quas habuimus olim. Ex conjectur. Heinsi aliter legi potest hic versus, quem vide ad hunc locum.

10 *Hoc cur, Philete, scripserim*) Sic Fabellas aliquando sunt Auctor Libro III. Fab. XII.

Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

Et ejusdem Libri Fab. I.

Hoc quo pertineat, dicet qui me noverit.

Philete.) Ita rectè scribendum: vetus Inscriptio apud Gruterum DCLXXVII. 2. TI. CLAUDIVS. PHILETVS. & pag. CCCXLVI. 2. Veletris in pavimento Ecclesie Cathedralis. D. M. CL. VICTORINAL. TI. CL. PHILETVS LIB. BENEMERENTI. Vixit ille Philetus sub Claudio.

Pulchrè vides.) Excusatum se vult Phædrus, si non eâ scribat alacritate senex, quâ scripsit, olim, quum florente esset ætate, viribusque integris.

**PHÆDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLARVM ÆSOPIARVM
APPENDIX**

A

MARQVARDO GVDIO

E

MANVSCRIPTO VETERI DIVIONENSI

DESCRIPTARVM, NVNC DENO

AD

LVSITANÆ IVENTVTIS

COMMODOVM ET INSTITVTIONEM

SELECTIS VARIORVM COMMENTARIIS

INLVSTRATARVM

OPERA ET STVDIO

I. I. C. S. R. L. R. P. O. P. O.



STVDIOSÆ IVENTVTI

S.

QUVM ad operis calcem jam peruentum sit, & tacitus mecum cogitâsem aliqua oportere addi, quò locupletior eruditiorque evaderet altera hæc Phædri Fabularum Olisiponensis editio, numerisque omnibus, quoad fieri posset, absoluta; illud mihi succurrit, utpote adolescentium studiosorum institutioni adcommodatissimum, Appendicem quinque Fabularum a clarissimo Viro, Marquardo Gudio, e Manuscripto veteri Divionensi descriptarum, adjicere; quippè quæ sint stili nitore, sermonisque elegantia minimè degeres ab ipsius Phædri ingenio; quinimo necessariæ ad eas suppleendas, quas suppressi, rejicique feci, non solum consilio meo ductus, sed doctissimorum virorum placitis planè confirmatus; quod studiorum rationi quàm maximè utile, & consentaneum esse iudicavi: autographum enim hujus Appendicis a doctissimo Walchio, aliisque eruditissimis Philologis laudatum, commendatumque sæpe sæpius legimus: quàm multa autem disertissimi Poëtæ desiderentur scripta, cuique singulares ipsius, innumerasque editiones summis curis castigatas evolveri facillè patebit. Illud mihi in primis curæ fuit quinque, qui præcesserunt, libros, locupletioribus Commentariis, ex sapientissimis quidem Interpretibus depromptis, exornatos ita corrigere & inlustrare, ut nihil sit, quod studiosæ Iuventutis institutioni opportunius, adcommodatiusque

esse videatur: ac proinde nulla res alia ad emendandos corruptos hominum mores magis conducit, quum hic potissimus Fabularum, sicut & Comœdiæ, atque Tragicœdiæ, & Satyrarum cum Mimis scopus sit, ipsos homines ad honestatis ac virtutis studium a vitiorum obscœnitate traducere; sicut & Phœdrus ipse scribit in Prologo Lib. I.

*Duplex Libelli dos est: quod risum movet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.*

& Lib. II,

*Nec aliud quidquam per Fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error ut mortaliū,
Acuatque sese diligens industria.*

si autem vestris commodis inserviando, totque labores exantlando in evolvendis, legendisque tam variis Librorum monumentis aliquid mihi adlevamenti est, illud profectò erit, si in vestram institutionem, Lusitani Iuvenes, pari studio, & diligentia, pro virili portione, omnes has meas lucubrationes contuleritis: bene valete, Deusque Optimus Maximus faxit ut hisce meis votis & conatibus secundis avibus respondeatis.

APPENDIX FABVLARVM.

FABVLA I.

Milvius ægrotans.

MVLTOS quum menses ægrotâset Milvius,
 Nec jam vidéret esse vitæ spem suæ;
 Matrem rogabat, sancta circumiret loca,
 Et pro salute vota faceret maxima.
 Faciam, inquit, fili; sed, opem ne non impetrem,
 Vehementer vereor: tu, qui delubra omnia

1 *Multos quum menses, &c.*) Non absimilis exstat Fabula apud Æsopum de Corvo ægrotante: expressit & Camerarius Fab. CXXX: confer etiam Faernum, qui de Corvo ægrotante etiam Fabulam suam contexit ex hac Phædri.

2 *Esse vitæ, &c.*) Gadius legit: esse vitæ spem super, sic Virgilius. *Dum vita supersit.* Plautus etiam eleganter per Tmesin separat: *Si quid super illi fuerit.*

3 *Sancta circumiret loca.*) Vt circumiret templa, aras, &c. sic in periculis constituti solebant etiam privatorum domos circumire: sic apud Virgilium: *Flumen sanctum, & Numina sancta.* Ovidius: *Di sancti.* Mar-

tialis: *Aula sanctior.* Lucretius: *Sancta Deum delubra:* ita quoque Tacitus Lib. II. *Annal. Libro veste mutata cum primoribus fœminis circumire domos, orare adfines, vocem adversus pericula poscere.*

4 *Pro salute.*) I. e. Vt salutem recuperaret. sic Lib. III. Fab. II. *Pro vita rogant.*

Vota faceret.) I. e. Voveret Diis multa, si filius suus a morbo liberaretur.

5 *Ne non impetrem.*) I. e. Vereor me non impetraturam quod peto.

6 *Tu qui delubra.*) Cum Emphasi dictum: quod est. Quomodo audis tu, qui tot flagitiis Deos offendistis, me rogare, ut pro te apud eos intercedam?

APPENDIX

Vastando, cuncta polluisti altaria,
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

FABVLA II.

Lepores vitæ pertæsi

QVI *sustinere non potest suum malum,*
Alios inspiciat, & discat tolerantiam.
Aliquando in silvis strepitu magno conciti

7 *Sacrificiis.*) Vox hęc loco
quadrisyllaba.

Nunc quid vis rogem.) Scilicet, hoc ipsum vult mater dicere, quod Cato apud Nonium: *Nullam profectò accessi ad aram, quin Deos suppliciiis, sumtu, votis, donis, præcibus, ploratu obsecrans nequicquam fatigarem:* egregiè Cato, ut Gudius observat, apud Sallustium Catil. III. *Non volis neque suppliciiis muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando; bene agendo: bene consulendo, prosperè omnia cedunt; ubi sordiditæ tete, atque ignavia tradideris; nequicquam Deos implores: itati infestique sunt.*

1 *Qui sustinere non potest.*) I. e. Qui non potest ferre. Phædri planè est, qui hoc modo locutus fuerat supra Lib. I. Fab II. *Hoc sustinete, majus ne veniat malum.*
ubi & dixerat *perferte:*

Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum, Malum perferte.

sic etiam Terentius Andr. V. IV. *Non tu tuum malum æquo animo feres?*

2 *Alios inspiciat.*) I. e. Aliorum hominum inspiciat vitam. Sic Terentius Adelph. III. I. 62.

Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium Iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.

Plinius Junior etiam: *Inspicere hominem propius.*

Et discat tolerantiam.) I. e. Et discat sustinere suum malum: illustrissimus Gudius, cui has Phædri reliquias debemus, conjicit ita legendum.

Aliorum exemplotoleranter discat pati.

id quod firmat auctoritate Ciceronis, apud quem est, *Toleranter dolores pati*

3 *Aliquando.*) I. e. Quodam

Lepores clamant, se propter assiduos metus
 Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum
 Venerunt, miseri quò se præcipites darent.
 Adventu quorum postquam ranæ territæ
 Virides in algas miserè fugientes ruunt:
 Heu, inquit unus, sunt & alii, quos timor
 Vexat malorum. Ferte vitam ut ceteri.

5

10

tempore. Vide de vi & usu hujus
 voculæ Collectionem a me cons-
 criptam Latinæ Orationis Par-
 ticularum.

Concili.) I. e. Perturbati,
 metu perculsi. vide Gudium.

4 *Propter assiduos metus.*)
 Scilicet, In quibus viverent ob
 insidias venatorum.

5 *Finire velle vitam.*) I. e.
 Velle mori, quæ Loëutio Lusi-
 tonicè idem sonat, ac Latinè,
querer-acabar a vida: sic Nepos
 in Pansania, cap. ult. *Vbi vi-
 tam finierat*: nisi quod hic legi
 volunt *posuerat*. Est tamen &
 Plinii *finire vitam*; & Ovidii in
 Tristibus.

*Quilibet hanc sævæ vitam mihi
 finiat ense.*
 & sic ferè in perorat. Metam.

*Incerti spatium mihi finiat
 ævi*

6 *Quò se præcipites darent.*)
 I. e. Quò se præcipitarent: sic
 Terentius Andr. III. IV. 27.

*Pliniam esset aliquid hic, quò
 nunc me præcipitem darem!*

8 *Virides in algas.*) I. e. Vl-
 vas: nam algam volunt esse ma-
 ris, ulvam stagnorum.

9 *Heu, inquit.*) Sic Lib. I.
 Fab. XXX.

*Heu quanta nobis instat per-
 nicies, ait.*

confer Gudium qui aliter consti-
 tuit hanc Fabulam.

Vnus.) Nempe fugientium le-
 posum.

10 *Malorum.*) I. e. Miseria-
 rum, calamitatum: sic initio,
sustinere suum malum.

FABVLA III.

Vulpis, & Iupiter.

NATURAM turpem nulla fortuna obtegit.

Humanam in speciem quum vertisset Iupiter
 Vulpem, regali pellex ut sedit throno,
 Scarabeum vidit prorepentem ex angulo;
 Notamque ad prædam celeri prosiluit gradu.
 Superi risere, magnus erubuit Pater,
 Repudiatam turpemque pellicem expulit;
 His prosequutus: Vive, quo digna es, modo.

1 *Fortuna.*) I. e. Dignitas, honor.

2 *Humanam in speciem.*) I. e. In hominis formam.

3 *Regali throno.*) I. e. Throno Regis. Quum Iupiter eam collocasset in solio regali. *Rex* autem a Poëtis Græcis & Latinis vocatur Iupiter, ut Iuno regina: sic Virgilius *Æn.* X. 621. de Iove.

Rex ætherei breviter sic fatur Olympi.

& *Æn.* I. Iuno ipsa de se: *Ast ego, quæ Divum incedo regina:* sed nec hi solum, sed multo minores etiam, ut Pan, & siquid eo vilis, *Reges* dicebantur, quod Græci & Latini exemplis passim docent.

Pellex.) Nam in humanam speciem versa, & jam regina facta, & sic Iovi dilecta, pellex erat Iunonis, de pellicibus, quas

Iupiter adamavit, ubique Ovidius in *Met.*

5 *Prædam.*) Quâ scilicet solebat delectari, quum adhuc vulpis esset.

Celeri prosiluit gradu.) I. e. De Throno prosiluit veloci saltu, ut est *Lib.* III. *Fab.* II.

6 *Magnus erubuit Pater.*) I. e. Erubuit Iupiter: nam *magnus* est ejus cognomentum. Vide *Lib.* IV. *Fabula* XVII.

7 *Turpemque pellicem.*) Quia rem turpem commisisset: nam repudiari olim solitæ uxores ob rem pudendam.

8 *His prosequutus.*) Hæc verba adjiciens. Attende ad varietatem hujus formulæ: sic *Lib.* I. *Fab.* VI.

Sic est locutus.

ibidem *Fab.* X.

Dixisse fertur.

ibidem *Fab.* XII.

Quæ nostris uti meritis dignè non potes.

FABVLA IV.

Leo & Mus.

NEQUIS *minores lædat, fabula hæc monet.*

Leone in silva dormiente, rustici
Luxuriabant mores: & unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit.
Expergefactus miserum Leo celeri impetu
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,

Vocem hanc edidisse dicitur.
ibidem Fab. XIV.

Hæc edidit.
ibidem Fab. XXVII.

Fertur locutus.
Lib. III. Fab. V.

Sic prosequutus.
ibidem Fab. X.

Hoc locutus est modo, &c.

9 *Meritis.*) I. e. Beneficiis,
quibus te prosequimur. Gudjns
dubitatur, an rectè dicatur *uti me-*
ritis, sicque versum constituit:

Decorè nostris moribus quæ
uti nequis.

Dignè) Vti decebat ad id
dignitatis fastigium euectam.

1 *Minores.*) I. e. eos, qui
sunt minores: quàm ipse est: ta-
le quid docuit suprâ Lib. I.
Fab. XVIII.

Quàmvis sublimes debent hu-
miles metuere.

Gudius aliter legit hunc versum,
quem. sis confer.

Lædat.) Injuriâ aliquâ adfi-
ciat.

2 *Rustici.*) Idem est Cicero-
ni, quod *agrarii*, vel *agrestes*:
sic *musca* alibi formicam vocat
rusticam apud ipsum Phædrum.

3 *Luxuriabant, &c.*) Ita res-
titutum lego hunc versum cum
Hoogstratano & Gudjo.

4 *Super cubantem.*) Scilicet,
Leonem.

Casu quodam.) I. e. Non vo-
luntate, non libenter, quod Ci-
ceronis est: confer quæ observat
Gudius ad hunc versum.

5 *Celeri impetu.*) Sic præce-
denti Fab. *Celeri gradu.*

6 *Veniam sibi dari rogat.*)
Sic Lib. I. Fab. XXII.

Didissem veniam supplici.
Lib. IV Fab. XIX.

Crimen fatetur, peccatum imprudentiæ.

Hoc Rex ulcisci gloriosum non putans,

Ignovit & dimisit. Post paucos dies

Leo dum vagatur noctu, in foveam decedit.

10

Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima

Rugire cœpit: cujus immanem ad sonum

Mus subito adcurrrens: non est quod timeas, ait,

Beneficio magno gratiam reddam parem.

.... Oro ut imprudentiæ

Des primum veniam.

7 *Crimen fatetur.*) Alii aliter legunt, respuente quidem versus, hoc modo.

Crimen simplex fatetur, peccatum imprudentiæ.

confer Gudium & Hoogstratanum.

Peccatum imprudentiæ.) Sic Cicero ad Atticum. *Peccatum stultitiæ.*

8 *Rex.*) I. e. Leo, qui Rex dicitur ferarum: sic Lib. IV. Fab. XII.

Quem se ferarum Regem fecisset Leo.

adi istam locum, & cum eo confer quæ latè commentatus est Gudius ad Lib. I. Fab. V.

Gloriosum non putans.) I. e. Non putans convenire cum gloria magnanimi Leonis.

9 *Dimisit.*) Scilicet, Murem incolumem.

Post paucos dies.) Sic & Lib. I. Fab. XVII. *Paucis diebus interpositis.* Lib. III. Fab. II.

10 *Dum vagatur noctu.*) I. e. Dum perstragatur hœc, dum huc illuc discursit.

In foveam.) Scilicet, factam

ad capiendas feras: vide Lib. III. Fab. II. alii sic legunt *cæcam in foveam*; nam legimus: *Fossæ cæcæ* apud Columellam; *Plagæ cæcæ* apud Lucretium, i. e. Latentes, coopertæ, quæ non apparent. *Vada cæca*, apud Virgilium, & *vestigia cæca*.

11 *Captum ut se agnovit laqueis.*) Imitatur more suo Virgilium, qui Georg. I.

Tum laqueis captare feras.

Voce maximâ.) Sic Cicero Lib. I. de Orat. *Hypseus maximâ voce*, &c. Phædrus autem Lib. I. Fab. XI. de Asino venante.

Clamorem subitum tollit totis viribus.

12 *Rugire.*) Vox est Leonum.

13 *Non est, quod timeas, ait.*) Sic planè voster Lib. II. Fab. II., & Lib. III. Fabul. II. *Timere absiste.*

14 *Beneficio.*) Quod mihi nuper præstitisti, quom me incolumem dimitteres. Nempe verum est, quod dixit Lib. III. Fab. II.

Solet a despectis par referri gratia.

Mox omnes artus, artuum & ligamina
 Lustrare cœpit, cognitosque dentibus
 Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
 Sic captum inus leonem silvis reddidit.

FABVLA V.

Homo & Arbores.

PEREUNT, *suis auxilium qui dant hostibus.*
 Factâ bipenni quidam ab arboribus petit,

15 *Omnes artus.*) I. e. Omnes modos & juncturas: sic articuli sunt noduli, parvulæ juncturæ: sic apud Plinium Hist. Nat. *articuli setgetum*, pro *nodis*, *articuli montium*, pro *summitatibus*; apud Ciceronem de Senect. *Articuli sarmentorum*. Eleganter autem Phædrus nervis conjunxit artus: quemadmodum enim in humani corporis fabrica incisis nervis laxantur artus: ita in laqueis e nervo seris contextis, artos sive nodi, quibus seræ mirifico quodam artificio constringuntur, laxantur, si nervos seces.

16 *Lustrare.*) I. e. Diligenter inspicere, ubi facillimè possent divelli.

Cognitosque.) Post diligentem lustrationem inventos.

17 *Laxat ingenia artuum.*) Eleganter quoque & venustè dixit *ingenia artuum*, pro artificio & ingenioso apparatu nodorum curculium, quibus statim implicabatur fera, atque in

latentes illos laqueos incidebat: sic Plinius dixit in Epist. *Ingenium cœnæ*, pro artificioso convivii adparatu, & *ingenium soli*; & Gellius: *Ingenia lactis*, & *proprietates*: sic etiam Ovidius Metam. VIII. v. 155.

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis.

Sic captum) De Leone plagis liberato vide aliquid in Camerar. Fab. CCCXIX.

1 *Suis auxilium qui dant, &c.*) Sic Lib. I. Fab. XXV.

Causilia qui dant pravæ cautis hominibus.

& Lib. IV. Fab. XVIII.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.

Auxilium dare est Virgilio Eneid. II. v. 691.

Da deinde auxilium, pater, atque hæc omnia firma.

2 *Bipenni.*) Securi, sic dicta, quia ab utraque parte habet aciem: *Machadina de dois gumes.*

Petit.) Pro, *petiit*, tempore

Manubrium ut darent e ligno, quod foret Firmum: jusserunt omnes oleastrum dari. Accepit munus, aptans & manubrium, Cœpit securi magnâ excidere robora. Dumque eligebat quæ vellet, sic Fraxino Dixisse fertur Quercus: Meritò cædimur.

EXPLICIT FELICITEE.

præterito, ut perit, pro periit Lib. IV. Vos quod rapuistis, perit.

3 *E ligno.*) Sic Plautus dixit, e ferro fabricatum est. Virgilius, Lorica ex ære.

4 *Firmum.*) Propriè dicitur de ligno durissimo, ad imitationem Virgiliti Æn. II.

.... Firma cavavit

Robora.

i. e. dura, quæ Plinius vocat inflexibilia.

Oleastrum.) Lignum ex oleastro; i. e. Olea silvestri. Sine dorche.

5 *Aptans & manubrium.*) Nempe securi. Aptare facta manubria est apud Columellam Lib. XI. Aptare trabes: apud Virgilium Æn. I. v. 356.

6 *Cœpit securi magnâ excidere robora.*) Elegans Formula, quam Phædrus videtur habuisse in deliciis, quod passim in his

Fabulis videre est: sic Lib. I. Fab. II.

Quum cœpissent pueri.

ibidem eadem Fabulâ.

Corripere cœpit singulas.

ibidem Fab. III.

Redire mærens cœpit ad proprium genus.

& alibi.

Excidere robora.) Securi cedere est apud Ovidium. Cedere arbores apud Virgilium. Qui robur illic cecidit apud Ciceronem de Divinatione.

Robora.) Durissimus quercus, cæterasque arbores.

7 *Dumque eligebat.*) I. e. Dum eligeret quæ sibi vellet robora truncare, vel excidere.

8 *Meritò cædimur.*) Sic planè noster Lib. I. Fabula XXXI. De reliquis tunc una: Meritò plerumque.

vide ipsum Phædrum in Prologo Lib. I.

INDEX

PRAECIPVORVM VOCABVLORVM,
ET PHRASIVM,

QVE IN HIS PHÆDRIFABULIS CONTINENTUR,
CUM LUSITANICA EORUMDEM INTERPRETATIONE.

Prior numerus Librum, alter Fabulam designat; parvaque hæc nota syllabas, quibus est imposta, longas proferendas esse pueris indicat.

A

Abjicere rem 4. 4, vender por menos do que vale; por menos do seu valor; deitar fóra, dando por muito pouco huma cousa. — *se negligenter* 4. 1, estirar-se ao comprido sem mais recato.

Abire impudè 1. 8, sahir do perigo, sem damno algum. — *quò priores abierunt*, 4. 16, passar desta a outra vida; morrer, como morrerão os outros.

Absisto, is, cessar, deixar de fazer alguma cousa.

Absistite timere 3. 2, deixai de ter medo; não temei mais.

Accipere bonas in partes & *Procl.* tomar a boa parte, receber, levar a bem.

— *in contumeliam*, 3. 7, tomar em ultraje; ter por affronta; em deshora.

Acclamo, as, 5. 5, gritar contra alguem: em outro lugar tambem significa: applaudir, acclamar.

Accommodare se humanitati, 3. 13, humanizar-se, familiarizar-se, fazer-se humano, dado; accommodar-se ao genio de alguem.

Acquirere famam, 1. 14, adquirir applauso, fama de grande homem; fazer-se célebre.

Acuere sese, 2. *Procl.* excitar-se; preparar-se a emprehender cousas maiores.

Addere contumeliam injurix, 5. 3., ajuntar o insulto, e o desprezo, á injuria, e ao ultraje.

Alducere ad quem 5. 7, induzir; fazer resolver alguem a alguma cousa.

Admovere preces, 1. 18,

3. 13, fazer súplicas, recomendar-se.
- Adnato*, as, 1. 2, nadar para algum lugar, ou cousa.
- Adoonare concionem*, 1. 14, ajuntar a gente.
- *fidem*, 4. 4, pôr-se a obrar com boa fé.
- Adnolare ex insidiis*, 2. 7, saltar fóra; sahir das emboscadas; lançar-se donde estava emboscado.
- Affectare aliquid*, 3. 15, ambicionar; procurar obter alguma cousa.
- Affici*, seu *Affigi malo*, 1. 5, encontrar, soffrer pena, ou dâmnio. *Malo afficietur*, &c. paga-lo-ha.
- Affigere feras*, 1. 11, perseguir, matar as feras.
- Affluere vestitu*, 5. 1, ter vestido largo, e com-prido, solto, pendente; ir com o vestido de ro-jô.
- Alludere occupato*, 8. 16, zombar, metter a búlha; fazer de gracioso com quem tem outra cousa a que at-tender
- Allicinetus*, a, um, 2. 5, occupado; que está com os vestidos arregaçados pa-rra estar mais lestes, mais desembaraçado.
- Alveolus ligneus*, 2. 5, balde, instrumento de páo para tomar agua.
- Agere cuniculos*, 4. 16, abrir minas, fazer covas subterraneas.
- Agere gratias alicui*, 2. 8, render graças, agrade-cer alguém com palavras.
- *aliquem ad perniciem*, 4. 12, conduzir, levar al-guem ao precipicio, preci-pitallo.
- *aliquem ad peniten-dum*, 5. 5, constranger, obrigar alguém a arrepen-dêr-se. *Agendo multa ni-hil agere*, 2. 5, assadigar-se muito, e não concluir cousa alguma. *Age porro, age dum*, eia sus, ora pois.
- Aggerare quadrantes*, 4. 16, *opes*, 3. *Proh.* amon-toar dinheiros, accumular, ajuntar riquezas.
- Agredi aliquem falla-cio*, 3. 13, procurar, met-ter-se a enganar alguém; servir-se, valer-se de algu-ma velhacaria com alguém para o enganar.
- Agnoscere dictum su se*, 1. 21, tomar como dito para si.
- *hominem*, 2. 5, des-cubrir, conhecer o genio, a intenção de alguém.
- Amittere fidem*, 1. 10, perder o credito.

Amittere dignitatem, 1. 20, decahir do poder; não estar já no grão, que primeiro occupava,

Anulus interior, 4. *Proh*, recanto escondido, lugar secreto,

Anhelare gratis, 2. 5, cansar-se, affadigar-se sem necessidade, de balde.

Aperire pignus, 5. 5, tirar fóra, fazer ver a prova de alguma cousa. *Aperitum est*, 3. 10, está claro, vê-se abertamente.

Apotheca plena cadis, 4. 4, adega cheia de toneis.

Appetere dente, 4. 7, procurar morder.

— *alienum*, aspirar, desejar o alheio. *Appetere cibum*, 5. 4. *Vocari*, 4. 2, appetecer, ter desejo de comer, desejar comer a uva,

Approbare opus alicui, 4. 21, dar a alguém huma obra bem aperfeiçoada, e completa: conseguir a approvação de huma cousa feita.

Ardelio, onis, 2, homem bule bule, que nunca está quèdo. *Natio ardelionum. ib.* raça de homens inquietos; que nunca estão quèdos.

Ardere siti, 3. 13, estar

muito sequioso; estar abrazado, morrer de sede.

Arripere alicui aurem, 5. 10. Agarrar, segurar alguém pela orelha.

— *sibi fulcium insolentem*, 5. 7, presumir temerariamente de si mesmo.

Ascendere navem, 4. 18, embarcar, entrar em huma não.

Ascribere sibi, 4. 2, appropriar a si mesmo. *Dies ascriptus*, 4. 10, o dia, o tempo prefixo, determinado, assentado.

Assequi aliquem, 4. 1, alcançar alguém; encontrar-se com elle.

— *sumam*, 3. 8, fazer-se célebre; grangear reputação, credito, nome.

Assignare aliquid alicui, 5. 2, appropriar, adoptar alguma cousa a alguém.

— *rem*, 4. 4, assignar, dar, consignar alguma cousa.

Assilire, 4. 1, saltar sobre alguma cousa.

— *ad vocem alicujus*, 2. 5, acudir de hum pulo á voz, ou chamado de alguém.

Atriensis, is, 2. 5, guarda, superintendente das cousas de casa: o porteiro.

Attentare aliquem, 5. 2,

provocar, commetter, atacar alguém.

Attestari aliquid, 1. 10, attestar, comprovar huma cousa.

Atribuere quidquam alicui, 4. 16, impôr, ordenar, attribuir alguma cousa a alguém.

Auctoritatis gratia, 5. *Prol.* para dar maior peso, maior valor; para authorizar; &c.

Avertere oculos, 4. 11, voltar, volver para outra parte a vista, desviar os olhos.

Auferre insolentiam, 3. 5, deixar de ser, não fazer mais papel de arrogante.

— *aliquo loco aliquid*, 1. 8, tirar fóra, subtrahir alguma cousa de algum lugar.

B

Bajulare sarcinas, 3. 17, levar a carga.

Bilinguis. is, 2. 4, enganador, fingido; homem de duas linguas.

C

Calumniari aliquid, 1. *Prolog*: criticar, desaprovar alguma cousa.

Camera, æ, 4. 2, abobeda do quarto.

Candor notus, 3. *Prol.* a candura, a ingenuidade, a lhaneza de animo, já patente, e sabido, desengano conhecido.

Capere animos alicujus, 2. 2, enamorar alguém, ganhar-se, grangear-se o seu affecto. *Capi aura frivola*, 5. 7, desvanecer-se de hum vão applauso.

— *aurem*, 2. *Prol.* dar gosto ao ouvido, deleitar a quem ouve.

— *aliquem cibo*, 1. 22, induzir alguém a fazer alguma cousa, dando-lhe de comer; levar alguém pela guela. *Capi fabulis*, 5. *Prol.* deleitar-se com as fabulas. *Capere fructum*, 4. 16, tirar proveito, utilidade; 4. 4, tirar os fructos, o rendimento. *Capi meritis*, 3. 12, ficar preso, obrigado pelos beneficios. *Capere somnum*, 3. 13, dormir.

Captare facere aliquid, 4. 7, 5. 3, procurar, experimentar fazer alguma cousa.

Carbonem pro thesauro invenire, achar huma cousa de nenhum valor, em vez de huma preciosa que se buscava. (Locução Proverbial)

Carere effectu, 1. 19, sahir baldado, frustrar-se hum designio; não sortir effeito.

— *somno*, 4. 16, vigiar, velar, estar sem dormir.

Carpere meliores, 2 *Ep.* inquietar, taxar os que são de melhor merecimento.

— *viam*, 5. 9, viajar, pôr-se a caminho.

— *escam*, 1. 17, alimentar-se, comer.

— *oscula*, 3. 7, beijar.

Cavere sibi, 1. 9, acautelar-se a si mesmo; assegurar a sua mesma, a propria pessoa.

Causis fictis, 1. 1, com falsas accusações, com fingidos pretextos.

Cedere loco, 1. 18, partir, ir-se, ausentar-se.

— *invidia*, 3. 8, não fazer conto, caso da inveja alheia.

Celdre annos, 2. 2, esconder os annos, procurar parecer mais moço, que não he.

Celebres nuptiae, 1. 6, de-posorio solenne, vodas sumptuosas.

Certamina laudis, 5. 5, públicas provas, demonstrações de virtude, de valor.

Cesso, as, deixar de fazer alguma cousa. *Quid ita cessarunt pedes?* porque deixaste de fugir? porque não escapaste? como te faltarão os pés?

Ciere gemitus immanes, 4. 19, dar urros horribeis, urrar horriavelmente.

Cinædus, i, 5. 1, pessoa dada ás delicias, homem affeminado, vicioso.

Circumcidere omnem impensam, 4. 16, reformar, diminuir, coarctar as despesas.

Cirrus, i, 2. 5, riços, gadelha dos cabellos; franja dos yestidos.

Citare aliquem testem, 1. 17, chamar, acarretar alguém para testemunha.

Cogitatio, color, 5. *Proh.* estilo, gosto, particular maneira de compôr.

Colligere res, 4. 4. 18, ajuntar, pôr juntamente.

— *sensum*, 4. 4, alcançar, entender o significado, o sentido.

Cognoscere aliquem a sermone, 4. 18, distinguir, conhecer quem seja alguém por o ouvir discorrer, pelo seu fallar.

Commendari re, non nomine alienjus, 2. *Proh.* ser huma cousa digna de esti-

mar per si mesma, não por respeito, e merecimento de alguém.

Commercium alicujus rei, 4. 10, uso, prestimo de alguma cousa. *Veto esse talis humanis commercium*, *ibid.*, prohibo, que se não empregue mais este lume.

Committere spiritum aliquo loco, pôr em seguro a propria vida; refugiar-se a algum lugar.

— *se tutandum alicui*, 1. 29, dar-se, entregar-se á custodia de alguém.

— *alicui pedes calcandos*, 1. 14, consentir que alguém lhe faça hum par de çapatos para calçar.

In commune quodcumque est lucri, 5. 6, para beneficio público tudo o que ha de bom; ou de utilidade.

Compiler aliquem, 4. 10, roubar a alguém quanto elle tem.

Conari aliquid 4. 22, tentar,prehender, pôr-se a fazer alguma cousa.

Conciannare aliquid mali, 2. 4, tramar, maquirar, occasionar, causar algum damno.

Concitare Civitatem, 5. 5, convocar a gente, os moradores da Cidade.

Condere famam ingenio, 3. *Proh.* adquirir para si credito com o seu saber.

